OBSERVATIONES
AD
TACITI HISTORIAS CRITICAE.

particula prima.

Einladungsschrift

zu den

auf den 21sten, 22sten, 23sten und 25sten März

angeordneten

öffentlichen Prüfungen, Versetzungen und Redeübungen der Schüler

des Catharineums in Lübeck,

von

Fr. Jacob,
Director und Professor.

Der Anhang enthält die dreiunddreißigste Fortsetzung von kurzen Nachrichten über das Catharineum in Lübeck.

Lübeck 1839.
Gedruckt bei G. C. Schmidt & Sohn,
Eines Hochedl. u. Hochw. Raths Buchdrucker.

Postquam per Annalium libros, quae vel vitiose scripta esse viderentur emendare, vel quae vitiose correcta essent a viris doctis, eximere rursus et codicum lectiones restituere in suum locum conati sumus, eandem operam Historiarum quoque libris impendere visum est. Nihil enim posse quod maneret superstrui, nisi haec antea quasi fundamenta operis essent iacta, abunde praeter alia id lexicon monstravit, quod inter medios hos Criticorum labores W. Bötticher edidit. Neque tamen ullus facile scriptor Romanus reperiri possit, ex quo aut omnes aetates tot tamque largas omnis generis copias, quibus ingenia ornentur, hauriant, aut cuius opera codicum antiquorum subsidio tam possint prope ad veram suam manum reduci, quam opera Taciti. Quapropter, quantum quidem in nobis virium esset, eximere ex praestanti hoc corpore naevos etiamnunc reliquos porro perreximus. Secuti autem sumus editionem Fr. Ritteri, ut qui postremus suas curas huic scriptori dicarit; lites vero quibus aliter sentientes impeteremus, quantum quidem scriptionis hoc genus permittit, nullas esse, ut in scholastico libello, promendas putavimus. Quamquam de toto eo genere ingenium meum abhorret. In verbis denique Taciti praescribendis eam legem servavi, ut veram codicis lectionem infra defendendam statim reciperemus, emendationes commendaremus in adnotatione.

Hist. I., 1.

Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere.

Non infirmis profecto se argumentis communiunt, qui *potestatem*, quam et codices non pauci praebent et Puteolanus reposuit, lectioni Florentini, (*potentiam* is habet,) praeferendam contendunt. Nam *potentiam* in homine esse dicunt, a re *potestatem* venire. *Conferri* igitur non posse potentiam, sed unam potestatem. Praeterea *omnem* esse omnium magistratuum; eorum vero rursum non esse potentiam, sed potestatem. Neque eis obest, quod Walther respondet, dum quid impediat quaerit, quominus potentem aliquem faciamus, i. e. conferamus in aliquem potentiam. Minus enim quid illi dicerent vel intellexisse vel reputasse videtur, qui ad hominem pertinere potentiam volebant. Eam quippe ab uniuscuiusque natura atque ingenio pendere, atque ita modo maiorem modo minorem fore aiebant; hic autem describi, non quid singuli principes potuissent, sed quid in principatu fuisset ex legibus positum. Sed quantumvis haec omnia vere dicantur, tamen *potentia* haud dubie a Tacito est. Namque id ipsum nunc dicit, rempublicam, quae legibus geratur, ab eo tempore esse desisse, in earumque locum venisse regnum uniusque arbitrium. Quod si, quo *nomine* id tum

factum fuisset, vellet docere, potestatem collatam diceret. nunc vero, quae *res* sit gesta, monstraturus, *potentia* utitur; sed ut pro more suo significet id magis prudentibus, quam aperte et aspere eloquatur, potentiam ad unum *collatam* dicit. Simili prorsus modo Fortunae sive potentia sive potestas est, eaque potentia a Jove est in eam collata. Quod nisi ita sentiret Tacitus, cur *ingenia* inde ex eo tempore *cessisse* putaret? Et, ne quid dubitationis relinqueretur, nonne deinceps haec addidit?: *simul veritas pluribus modis infracta, primum libidine assentandi aut rursus odio adversus dominantes.* Haec enim non sane ea tempora sunt, quibus ad unum collata *legum potestas* valet, sed quibus unius *potentia.*

Hist. I., 7.

Ceterum utraque caedes sinistre accepta, et inviso principe seu bene seu male facta premunt.

Nihil de huius loci structura dicerem, qua ablativum (*inviso principe*) pro accusativo (*principem premunt*) praeter legem Tacitus induxisse videretur, si codicis accederet auctoritas. Nunc vero, ubi codex *principi* habet, et ablativum interpolatione intulerunt, neque porro, ut videtur, *premunt*, sed *praeminuit*, ut Victorius tradidit, atque ed. Spir. et cod. Corb. aliique verisimile reddunt, aut tamen aliquid obscurius scriptum exhibet, quod alii, *premunt* solverent, alii, *praeminuit*, alia res est. Neque enim eas coniecturas homines prudentes comprobent, quibus, ut vox quaedam incerta servetur, certam et sanam ita demutemus, ut sententia inde male ambulans exoriatur, et quae hic quidem per *et* priori adiuncta et ad novum tamen subiectum temere aberrans et obiectum abiiciens vix excusari possit. Itaque ego eisdem literarum ductibus servatis *praeminuit* ita solvo ut sit, *praemuniit*, quod iam ante me scriptor cod. Corb. fecit: Ea caedes *inviso principi seu bene seu male facta praemuniit.* Sententia eadem est, quam Plutarchus, qui saepe, ut anno proximo pag. 20. insigni exemplo probavimus, in his libris veritatis testis est, ita interpretatur cap. 13: *Ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πραττόμενα διαβολὴν εἶχεν.* Verba vero ut non simplicissima esse confitemur, ita tamen et recta sunt et ad sententiam aperiendam, quod maximum est, aptissima. Nam qui alicuius seu bene seu male facta premunt, ii quodam modo hostiliter suo iudicio instant et urgent; qui vero alicuius facta praemuniunt, ii suo se iudicio ita contumaciter circumsaepiunt, ut, quidquid ille faciat, expugnari non queant. Atque is quidem ipse tum militum animus erat. Neque enim illi, quamquam proni ad res novas, tam tumultuabantur moliebanturve insidias, quam contumaci tristitia imperatoris a se facti saevitiam observabant, et donativum recusantis avaritiam taciti exprobrabant. Hinc in adoptione Pisonis cap. 18: *Proximi militum grata auditu respondent; per ceteros maestitia ac silentium.* Apparet igitur *praemunire* a Tacito in *defendendi* similitudinem esse traductum. Nam pari iure et defendere a nobis facta, et defendere nos a factis dicimus. Atque innumeris exemplis illam huic orationi praetulisse Tacitum nemini ignotum est.

Subiungere praescripto cuique loco ea placet, de quibus in transcursu, paucis verbis agendum videtur. Veluti Hist. I, 11. non dubitamus, quin iam Riklefs recte iudicarit, qui legendum suadeat: *Ita visum expedire*, Aegyptum, *insciam legum, ignaram magistratuum domui retinere.* Non *domi.* Nam inscia legum Aegyptus dicitur, quia regibus semper paruit. Unde libertatis impatiens melius sub domino fore videbatur. *Domus* igitur principis modeste, pro unius arbitrio, magistratibus opponitur. Hinc iam in aperto est, *domi*, quod de administratione privata interpretantur, opponi reipublicae

in hoc quidem antitheto plane non posse; quamquam ne id quidem licere iudico, ut *domi* ita interpretemur; sed opponendum erat reipublicae *regnum*. multo vero minus istud adverbium ab usu consueto in hanc notionem posse transferri, unusquisque concesserit.

Verbo fortasse etiam proxima tangenda sunt: *Africa ac legiones in ea interfecto Clodio Macro contenta qualicunque principe post experimentum domini minoris*; in quibus verba notata Fr. Ritter inducenda arbitratur. Sed pluralem, *legiones*, cum una in Africa esset, iam a Lipsio Ernestius defendit; quod autem verba proxima potius, cur provincia quieverit, docent, quam cur legio, ratio in proclivi est. Nam provinciarum status per omnia haec capita enarratur, quo patefacto simul legionum animi intelliguntur. Fuisse tamen legionum quoque faciendam mentionem, res ipsa docet, et factam hic esse sequentia monstrant: *Duae Mauritaniae* etc., *et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinas, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur.*

Hist. I., 12.

Multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitionis rumoribus destinabant.

Mireres, quod hodie quoque inveniantur, qui *ambitiosis rumoribus* contra codicum consensum uti malint, quum eodem plane res redeat. Nam et ambitionis et ambitiosi rumores sunt ambitiosorum hominum, i. e. eorum qui gratiam patronorum, quos adoptioni destinant, ambiunt: Pariter *odii rumores* dicas, quia Vinii odio non minus alii movebantur, quam alii patronorum ambitione ac spe stulta.

Deinde eiusdem libri in cap. 13 nunc erit legendum: *spem adoptionis* (Otho) *statim conceptam acrius in diem rapiebat;* ex quo codicem Flor. hunc singularem doctiorem, *diem*, non *dies* praebere didicimus.

Dudum etiam parendum erat Jac. Gronovio, qui cap. 20. ex cod. Florentino aliisque legebat: *Exactioni* (liberalitatum Neronis) *triginta equites Romani praepositi; novum officii genus et ambitu ac numero onerosum. Ubique hasta et sector et inquieta urbs actionibus.* Nam *auctionibus*, quas ex libris deterioribus retinent, locum nullum esse ipsa rerum partitio per *et* instituta demonstrat et epitheton, *inquieta*. Causarum autem actiones multas necessario consecutas esse manifestum est, quum ex Plutarchi Galba cap. 16. et ex Suet. cap. 15. discamus Galbum vel Vinium curasse, *ut et, si quid scenici ac xystici donatum olim vendidissent, auferretur emptoribus, quando illi absumpto pretio solvere nequirent.*

Cap. 23. *Studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans* etc. Pusillum fortasse videbitur, neque tamen reticendum. Nam omnes prave commate ditinguunt post, *affectaverat*. Sed *iter* generale est pro *via*, ut plurimis locis apud Tacitum invenitur, qua Romam Galba petebat; *agmen* et *stationes* viae sunt subdivisiones. Quod quum prava ea distinctione impeditus non videret Ernestius, alterum nomen itineris agminisve abundare opinabatur, alii non recte tuiti sunt.

Hist. I., 26. et 27.

Adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero iduum a coena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis — timuissent. — Octavo decimo calendas Februarias sacrificanti pro aede Apollinis Galba haruspex Umbricius

tristia exta — praedixit. — Otho — ad miliarium aureum — pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem strictis mucronibus rapiunt. Totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore et g l a d i i s, *pars silentio, animum ex eventu sumpturi.*

Sic quidem nunc verba ea notata (*postero iduum*) decurtata sunt. Nam cum codex, *postero iduum dierum* praeberet, alii inde syllaba, *rum* dempta, *die* usi sunt; alii hoc etiam spreto, utpote non Latino, omne id nomen deleverunt. Non sane illi audiendi. Nam ut a simplicissimo argumento exordiar. Si nunc de iduum postero tractaret Tacitus, num eius diei diem ipsum insequentem, quo seditio patefacta est, paucis post pleno suo nomine induxisset, *octavo decimo calendas Februarias*? Nonne dixisset, *Postridie eius diei*? Sed haec ipsa horum dierum vicinitas proxima et continuatio satis demonstrat, viros doctos aliud plane egisse, cum ita sentirent atque corrigerent. Nam hoccine quaeso *paratae seditionis et dissimulationis* argumentum potest esse, quod milites *nocte* iam id vel facere vel reticere non verebantur, quod *proximo statim mane* erant facturi? Itaque non eo die id actum esse potuit. Neque id Suetonius tradidit, Othonis in cap. 8., sed statim post adoptionem: *Tulerat animus post adoptionem statim castra occupare, coenantemque in Palatio Galbam adgredi.* Itaque iam Ernestius ad eum locum nostrum refingere cupiit; sed quia audaciore coniectura vim afferre Tacito videbatur, cum legi vellet, *postero statim dierum*, minus auditus est. Ego iam mihi meliorem proponere videor: *Adeo parata seditio fuit, ut postero, iduum die* t e r t i o, *Othonem rapturi fuerint.* Librarium ex sigla numeri *III.* syllabam *rum* prave aberrantem finxisse iam vides. Nam *quarto iduum*, ut in cap. 18. legimus, *apud frequentem militum concionem — adoptari a se Pisonem — pronunciat.* Et haec tam cito laesa adoptionis religio una profecto erat, quae in brevi hoc sex dierum spatio, intra quos seditio et nata est et perfecta, afferri a Tacito poterat, ut exercitum paratae seditionis et dissimulationis argueret. Quod autem contra Ernestium Walther monebat, „nimis ab hoc loco remotam esse adoptionis mentionem, quam ut auctor verbis: *postero die*, nude sic positis ad eam respicere possit," id vides scrupuli nunc plane exemptum, adiecto, *iduum die tertio*. Quamquam vel sine eâ accuratione eam difficultatem non magnopere morarer. Nam non erat obliviscendum, *seditionem* postero die ortam narrari. Ea vero sponte diem adoptionis posterum intelligimus. Siquidem ante eam nec omnino ulla erat mota, nec contra Pisonem, privatum quippe ad eum diem hominem, ulla potuerat esse.

Alterum verbum, quod spatio literarum aucto insignivi, quia *gaudio* quam *gladiis* uti maluerunt, coniectura eripuerunt Tacito nimis illi quidem delicati. Nam crebro illa quidem duo verba copulantur. Sed num propter id ubicunque a nobis scriptoribus sunt obtrudenda? Etiamque militibus seditiosis, tum Germanis? qui haud dubie ipsis illis gladiis gaudia testabantur. Neque Taciti ita ignari sumus, ut ablativum hunc nudum in eo reformidemus. Sed accedit praeterea etiam Plutarchi auctoritas, qui rursus plane cum Tacito conspirat in cap. 25.: *Οἱ δὲ παρόντες* (XIII. speculatores) *οὐκ εἴων* (*ἀποδειλίασαι*), *ἀλλὰ τοῖς ξίφεσι γυμνοῖς* (strictis mucronibus) *περϊιόντες τὸ φορεῖον ἐκέλευον αἴρεσθαι. — ἐξήκουον γὰρ ἔνιοι θαυμάζοντες* (miraculo) *μᾶλλον ἢ ταραττόμενοι διὰ τὴν ὀλιγότητα τῶν ἀποτετολμημένων. Φερομένῳ δὲ οὕτω δὶ ἀγορᾶς ἀπήντησαν ἕτεροι τοσοῦτοι καὶ πάλιν κατὰ τρεῖς καὶ τέτταρας ἄλλοι προσεπέλαζον, εἶτα συνανέστρεφον ἅπαντες ἀνακαλόυμενοι Κάισαρα καὶ γυμνὰ τὰ ξίφη προϊσχόμενοι* (clamore et gladiis). Similiter quae proxime apud utrumque

auctorem de Martiale sequuntur, per omnia ita consentiunt, ut alterum ab altero pendere omni dubio maius videatur.

Cap. 29. *Sextus hic dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen, sive timendum erat, Caesar adscitus sum. quo domus nostrae aut reipublicae fatum in vestra manu positum est.* Nunc plerique Puteolano auctore hunc locum ita corrigunt: *quo domus nostrae fato, in vestra manu positum est.* Sed parum attenderunt, ita eandem sententiam repeti, quae praecesserat, *sive optandum nomen sive timendum*; id vero eo tantum posse excusari, si de utroque fato deinde esset amplius Piso dicturus. Quod quum non fiat, standum haud dubie in codicum lectione est, quae nihil in se offensionis habet. Cum emphasi enim incertum id suum reipublicaeve fatum iam in militum manu esse positum pergit docere: *Non quod meo nomine paveam* etc. Verum tamen, si recte hactenus sententiarum progressum exposui, unum vitiosum esse apparet. Nam *quo* aut explicabis, *quo facto* aut, *eo, quod.* Utrumque vero falsum esse apparet. Nam quod *futuri ignarum* se supra testabatur, non semper nec unice in militum manu fuerat. Si enim fuisset, i. e. si a militum licentia salutem suam pendere vidisset, non ille, credo, Caesarem se dici esset passus. Aperte etiam id ipse deinde eloquitur: *Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset.* Quapropter recte supra *iam* inculcavi: „fatum suum *iam* in militum manu esse positum pergit." Quod si ita est, Waltheri accipiendum inventum est, *quod fatum in vestra manu est*, si quidem et *eo quod* et *quo facto* ad prima adoptionis tempora falso nos reiicit. Neque mirandum est, quod ea particula, *iam* est omissa. Nam et saepe Latini, ubi nos addimus, eam solent reticere, et hic consulto Piso omisit, ne plane in militum potentiam praesenti tumultu natam se dedere videretur.

Hist. I., 30.

Galbam consensus generis humani, me Galba consentientibus vobis Caesarem dixit. Si respublica et senatus et populus vacua nomina sunt, vestra, commilitones, interest, ne imperatores pessimi faciant. Legionum seditio adversus duces suos audita est aliquando; vestra fides famaque illaesa ad hunc diem mansit. Et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. Minus triginta transfugae et desertores, quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret, imperium assignabunt? Admittitis exemplum? Et quiescendo commune crimen facitis? Transcendet haec licentia in provincias et a d nos s c e l e r u m, b e l l o r u m a d v o s exitus pertinebunt?

Mediam habes Pisonis orationem, qua prudentissima praetorianos ab Othone et seditione revocare conatur. Itaque militum, non suam causam se agere praefatus primum ne ab Othone, homine prodigo et libidinoso quidquam liberalitatis sperent commonet. Deinde verbis supra adscriptis ad genus seditionis aeque ipsis perniciosum transit, sive illaesam ad hunc diem suam famam et praesentis facinoris auctores spectent, sive exemplum et eventus futuros. Iam in praestantis huius orationis fine quem non admiratione, ne dicam, indignatione compleat, si in tristium earum rerum enumeratione, quae in praetorianos casurae sunt, ad imperatores *scelera*, ad milites referuntur *bella!* idcircone haec omnia apud milites dicta sunt, quorum causam se unice curare ait, ut bello eos denique terreat, quasi homines ignavos, non feroces cohortes? Quod autem istud flagitium est, quod ad se, i. e. ad imperatores et senatum, *scelera* pertinere ait? Non quod ad eos ea scelera non pertineant. Si quidem nullum usquam facinus est, quod non ad eum simul pertineat, qui patiatur, et ad eum qui faciat. Verum nunc non erat, quid paterentur imperatores, docendum, sed quae

militum essent futura mala. Ii enim fidem minuent, pessimos experientur magistros, provincias et legiones urbis et praetoriae cohortis dominos. Et his malis ultima ut addantur *bella*, omittantur transferanturque in innocentes ea *scelera*, e quibus ea omnia mala nata sunt, ac talia quidem, quae plane in milites cadunt et ad eum diem sunt inaudita? Nam *duces* suos aliquando *legiones* distituisse auditum est, non ut *Imperatores* ***P. R.*** exuto sacramento trucidarit *praetoria cohors*. Itaque non dubito, quin pronominum ordo ita sit immutandus: *et ad vos scelerum, bellorum ad nos exitus pertinebunt.* Nam ut belli minas iure a militum nomine removimus, scelerum contra atrocitatem in eos coniecimus, ita bellorum exitus iam non minore iure abhorrere ab Imperatore et Caesare dicuntur. Is enim non bello, sed *consensu humani generis* a senatu est eligendus. Atque idem iam alios sensisse, Cod. Harl. testis est, qui hunc pronominum ordinem continet, et quod maius est, ed. Spir., fidissimum cod. Flor. simillimi exemplar, dudum literas ambiguas fuisse demonstrat, ut in qua *nos-nos* sit loco utroque.

Eodem in capite difficile dictu sit, cur non libris et Jac. Gronovio VV. DD. paruerint, qui ex codicibus rescripsit: *falluntur, quibus luxuria speciem liberalitatis imponit*; i. e. decipiuntur, quibus luxuria se pro liberalitate venditat; vel, si verba me magis premere iubes: falluntur, quibus luxuria speciem liberalitatis, fictam liberalitatis imaginem, imponit, quam pro liberalitate vera deferant, damna experturi, ubi commoda speraverant: Die irren sich, denen die Verschwendung den Schein der Freigebigkeit aufbürdet, i. e. die sich Verschwendung statt Freigebigkeit aufbürden lassen. Nunc plerique omnes Rhenani auctoritatem sequuntur quae suadebat: *falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit* i. e. falluntur, qui specie falluntur. — In verbis praescriptis *vacua nomina — adversus duces* me ex codice reduxisse, ubi *vana, adversum* interpolarant, ipse vidisti. Addam, eodem in capite haud dubie esse scribendum: *forte magis et non ullo adhuc consilio.* Vulgo, *et nullo*; sed codex habet, *non nullo*, errore vulgari.

Hist. I., 31.

Post eam Pisonis orationem seditionem compósituri tribuni mittuntur ad milites: Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus; ad Germanicos milites primipilares. *Legioni classicae diffidebat, infestae ob caedem commilitonum. Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cetrium adorti milites minis, Longinum manibus arcent exarmantque, quia non ordine militiae, sed e Galbae amicis, fidus principi suo et desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur.*

Non spernenda erat Ernesti observatio, qui, suspectum mihi, inquit, est suo et a librario germanizante additum. Quamquam enim neque additum esse a librario istud pronomen neque germanizare puto, tamen nequaquam ferri hoc loco posse certissima res est. Nam quod ille parum de eo pronominis abusu meditatus Germanorum consuetudinem redolere putabat, id tu rectius ab universa antiquitate longe remotam, sed recentibus hominibus inhaerentem perversitatem vocaris. Est autem ea ficta quaedam et simulata mollitiae teneritatisque imitatio, quam nunc falsam sentimentalitatem nomine quidem novo, sed apto vocitant; nam praeter artem atque rationem ibi quoque ea utimur, ubi apud recte iudicantes nullus eius locus fuerat. Iam vero nostro loco hanc sensuum teneritatem addito eo pronomine perversissime eis militibus inculcari, qui nunc ipsum a principe desciscunt, unicuique, qui sano antiquitatis, vel potius humanitatis, sensu imbutus est, certum videri debet. Neque magis in hac simpli-

citate orationis, qua militum animi quasi dinumerantur, cuiquam in mentem veniat dicere, Taciti hoc esse interpositum iudicium, quo suam ipse miserationem testari voluerit. Nam in res omnes nostra ubique sensa immiscere idem est mos non antiquus, sed hominum recentiorum. Quamquam id quidem negari non potest, manavisse ad nos istud vitium a prava Romanorum hominum imitatione. Nam dum, quod illi rhetorica arte exornant, in quodvis orationis genus transferimus & aemulamur, diu ea, paene dixerim, ficta delicati sensus mendacitate laboravimus et nunc etiam laboramus. Sed tamen, quod falso loco antiqui eam teneritatem non admiserunt, quis inde effectum putarit, eos omnino omnem vel sprevisse vel ignorasse? Itaque ea exempla, quibus Walther contra Ernestium disputare sibi videtur, nihil probant. Nam eiusmodi omnia sunt, ubi iure eis pronominibus Tacitus utitur. Apponam unum ex capite huius libri 40: *Othoni tamen armari plebem nunciabatur. Ire praecipites et occupare pericula iubet. Igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non imperatorem* s u u m *inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidi equis forum irrumpunt.* Haec igitur tota ad miserationem et indignationem facta oratio, quid, quaeso, cum nostra similitudinis habet? Itaque tale aliquid ac verissime quidem sentiebat Ernestius, quum *suo* a germanizante librario additum putabat. Ego vero falsum quidem istud *suo* censeo, non tamen additum, (nulla enim huius similia additamenta in eo librario inveneris,) sed ea simplicitate natum aio, qua saepe ad proximum nomen codicis Flor. librarium casus refingentem locis plurimis experimur. Id igitur agendum, ut verum casum huic pronomini reddamus nobis ereptum. Quo ut perveniamus, a *militiae ordine* interpretando initium capiendum est. Nam eum plerumque cum ordine sive gradu militari confundi non recte video. Si quidem eum nunc quidem non intelligi in aperto est. Nam omnes ad praetorianos missi erant tribuni. Non igitur hunc illis suspectiorem fuisse monstraturus addere Tacitus potuit, non id fuisse propter tribunatum. Est potius *ordo militiae, genus militiae,* quae ut omnibus notum, variis ordinibus distinguebatur. Ita supra, cap. 25: *In communi omnes metu mutandae* m i l i t i a e *terrebantur.* Ubi rursus vides *communi* peccari; nempe *metu* sequente vitium exemisse bonus librarius sibi videbatur, si corrigeret *communi.* Sed dudum Rhenanus rescripsit *in commune.* Ceterum eum metum ad classiarios maxime pertinuisse dixeris. Ita enim de iis, quamquam ad praetorianos aberrans Xiphilinus in Galba, cap. 3. *Ἀπήντησαν αὐτῷ οἱ δορυφόροι τοῦ Νέρωνος, καὶ ἠξίουν ἐν τῇ αὐτῇ σρατείᾳ φυλαχθῆναι.* Eos vero tum caede suorum infestos primos tentasse Onomastum, admodum probabile est. Quamquam, si Suetonium audimus, ad omnes ille mutandae militiae metus pertinebat. Is enim in Galbae cap. 16: *Ceterum praetorianos etiam metu et indignitate commovit, removens subinde plerosque ut suspectos et Nymphidii socios.* Multo autem apertius, quem ordinem militiae hic habeamus, docet caput 38: *Rapta statim arma, sine more et* o r d i n e m i l i t i a e, *ut* p r a e t o r i a n u s *aut* l e g i o n a r i u s *insignibus suis* d i s t i n g u e r e t u r. *miscentur* a u x i l i a r i b u s *galeis scutisque* etc. Nam non vere interpretari, quos ita vertentes legimus: *Keine Zucht, keine Dienstordnung,* unusquisque ex antithetorum natura intelligit. Effecimus igitur, ut Pompeium Longinum tribunum quidem fuisse videamus, sed non praetorianum. Idque vel aliunde didicimus. Nam Ann. XV, 71.: *Exuti dehinc,* ait, *tribunatu* P o m p e i u s, *Cornelius Martialis — quasi principem non quidem odissent, sed tamen aestimarentur.* Itaque infestus Neroni a Galba in eundem ordinem militarem restitutus esse videtur, sed non in eundem ordinem militiae, i. e. in praetorianos, quia in illis nullus tum, ut videtur, locus vacabat. Iam vero, *si non eo militiae ordine erat suspectior,* consequens est, ut

eo quidem ordine vel commendari potuisse praetorianis intelligatur; sed amicitia principis ei obfuit. Unde porro concludimus, milites eos, quibus praeerat Longinus, in praetorianorum fuisse partibus. Igitur eis non minus quam his suspectus erat. Et ex his omnibus iam vera lectio videtur patere: *Longinum manibus arcent exarmantque, quia, non ordine militiae, sed e Galbae amicis, fidus principi, suis et desciscentibus suspectior erat.* Atque etiam quorum ille tribunus fuerit, probabiliter potest monstrari. Classiariis praeerat. Nam in hac una parte, relicto eo militum ordine, quo supra eos induci vides, statim addit: *Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur.* Nempe quia proxime de tribuno eorum tractaverat. Praeterea duorum tantum par animus commemoratur, et classicae legionis et exercitus Illyrici. Hic autem proturbat Celsum ad se missum pilis. Sed ad classiarios tanquam ad infestos quum tribunus non mitteretur, is quidem, Longinus, ad praetorianos, ut quibus quondam praefuerat, ire iussus est. Neque id dissimile veri est, eius legionis classicae non solum gregarios milites a Galba intrante supplicio esse affectos, sed tribunos quoque amotos, in eorumque locum aliquem suffectum esse, qui Neroni infestus, Galbae fidus videretur; qualis Longinus erat. Easque res omnes, quas nunc longis ratiocinationum ambagibus investigamus, in Annalium libris deperditis accurate haud dubie Tacitus exposuit. Multa enim, quae ad huius imperii initia pertinent, nunc desideramus. Veluti longa ea damnatorum series indicat, quos Otho cap. 37. invidiose apud milites enumerat.

In capite 33. non recte codicis auctoritatem sperni dixisse sufficiet. Is enim habet: *Non exspectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit. Obsidionem nimirum toleraturos. Et praeclarum in servis auxilium, si — prima indignatio elanguescat.* Ac decent hanc sannam sententiae breves ac vibrantes. Vulgo *toleraturus*, commate post *cludit*, orationi praecedenti adiungitur. Hic quoque casuum paritatem a librariis esse quaesitum, sponte occurrit.

Hist. I., 34.

Vixdum egresso Pisone occisum in castris Othonem vagus primum et incertus rumor; mox, ut in *m a g n i s m e n d a c i i s*, *interfuisse se quidam et vidisse affirmabant.*

En tibi, causa parilis iterum nobis agenda est; atque in tam quidem robusto vitio, ut non minus mirabile videatur, quod tam diu se oculatissimis interpretibus subducere potuerit, quam hoc certum, a cunctis iam primo aspectu errorem iri deprehensum, postquam semel a me digito est monstratus. Nam quid tam absurdum est, quam dicere, plerosque homines gloriari, se alicui rei magnae interfuisse, postquam ea res mendacio esse ficta cognita est! Immo vero; ad res, quae eis verae videntur, suo ipsi mendacio accedunt, ut in aliquam gloriae lucrive partem perveniant. Nihil igitur certius esse videtur, quam ita esse interpungendum: *mox, ut in magnis, mendaciis interfuisse se quidam affirmabant.* Neque porro quidquam certius, quam non ita potuisse scribere Tacitum. Nam unusquisque eam casuum paritatem coniungeret, non divelleret aliquo commate. Est igitur, (nisi quid gravius subsit, de quo posthac dicetur,) ea terminationis similitudo, tanquam a librario profecta, detergenda: *mox, ut in magnis, mendacio interfuisse se quidam affirmabant.*

Et fortasse, quum de interpunctione tractetur, ad alium quoque scriptorem semel tamen aberrare licuerit, quem plurimorum manibus tritum insigni et notabili

loco etiam ab hac parte laborare videmus, vel post recentissimas Orellii curas. Est autem is Horatius in Ep. ad Pis. vs. 251, sqq. quos ita interpunges:

Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus.
Pes citus; unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem, —
Tardior ut paulo graviorque veniret ad auris, —
Spondeos stabilis in iura paterna recepit.
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, etc.

Quamquam plus etiam interpretatione quam interpunctione agendum est. Nam haec quidem, in rebus minus gravibus, ab aliis aliter institui poterit. Veluti erunt fortasse, qui verba, *unde etiam — ictus*, parenthesi includenda dicant, ut oratio sic copuletur: *Pes citus, — primus ad extremum similis sibi* etc. Res itaque ea, in qua omnis cardo versatur, haec est, ut intelligatur, non de omni iambo nunc praecipi, sed de iambo Romano. Quod si statuitur, omnis excidit repente ea admiratio, quae cur de eo maxime metro docere voluerit, omnes interpretes iure vexavit. Hoc igitur Horatius dicit: Jambus Romanus pes citus est; unde etiam a trimetro i. e. a ternario numero *crevit* apud nos nomen, et numero duplicato senarius dictus est, cum non ternos, ut apud Graecos, sed senos ictus redderet. Is versus quum diu apud nos propter spondeos in omnes sedes admissos ab initio ad finem sibi similis esset, non ita pridem pedem hunc stabilem in sedes paternas, impares, quae ei a Graecis auctoribus erant concessae, recepit, ut paulo gravior ad aures accederet; solutissimis enim ante anapaesti, dactyli, proceleusmatici pedibus ruebat. Et est ille quidem natura commodus ac patiens iambus, sed non eum in modum, ut etiam de secunda quartaque sede tanquam bonus quidam socius spondeo robusto ac stabili cesserit. Hic vero pes limatus rarus in Accio est, rarus in Ennio. Quot partibus haec interpretatio quo iure a vulgari recedat, nunc non exponam. Sed duas res velim audire ab iis, qui aliter docent. Primum, quo iure *nomen accrescere trimetris* ita interpretentur, ut iambum dicant ob celeritatem vocari trimetrum, quamquam senos ictus referat. Nam, ut alia taceam, aperte ita interpretaturis non *crevit* nomen, sed altero tanto *decrevit*. Nunc autem nomen trimetri non tantum dicit *crevisse* Horatius, sed etiam *accrevisse*, i. e. incrementa accepisse nova. Nova vero ea haud dubie accesserunt ad nomen aliquod prius, i. e. Graecum, ac per homines quidem Romanos. Deinde, *Primus ad extremum similis sibi* plerisque omnibus iambici metri, non iambi Romani, qualis erat apud antiquos, definitio esse visa est. Sed ea quidem aut nulla est aut falsa. Nam aut pariter omnia metra amplectitur, siquidem eisdem pedibus ab initio ad finem repetitis constant omnia; neque igitur definitio iambi est; aut falsa est, quia maiorem pedum varietatem iambus admittit, quam alia metra multa. Sin autem haec in unum metrum Romanorum antiquum cadere concesseris, pleraque omnia, quae proposui, consecutura sponte concedes.

Sed quum semel ad Horatium venerimus, alium eius locum vexatissimum apponamus, quem eundem parva interpunctionis ope interpretati nobis videmur. Est is in eius Ofello, vs. 29:

Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,

qui quantum omnes excruciare soleat, ex VV. DD. commentariis discas. Ego vero difficultates ita dissolvo:

Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda.
Tanquam ad rem attineat quidquam! Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? Cocto num adest honor idem?
Carne tamen, quamvis distat nihil hac, magis illa —?
Imparibus formis deceptum te patet! Esto!

Nempe praeceps indignantis Ofelli oratio postquam per cumulatas interrogationes sese effudit, antequam sententia, quam sponte quivis compleret, finita esset, media praeciditur, ut statim ad responsum et conclusionem festinet: *Imparibus formis deceptum te patet!* Eam vero abruptam orationem imprimis hanc iram decere, nemo doceri velit. Itaque sperno prae hac rerum dispositione eam interpolationem codicum, quam nuper in ed. Horatii sua Orellius secutus est:

Carne tamen quamvis distat nihil, hac magis illam
Imparibus formis deceptum te petere esto.

Levius est, neque tamen omittendum in ea interpunctionis cura, quam hodie sectamur, eodem in capite esse ita dividendam sententiam: *Praemissus tamen in castra Piso, ut iuvenis, magno nomine, recenti favore* etc. Vulgo: *Praem. in castra Piso ut iuvenis magno nomine, recenti* etc. Sed iuventus Pisonis per se momentum habet. Nam opponitur Galbae infirmae senectuti, cuius in capite proximo, 35, mentio est: *donec — sumpto thorace Galba irruenti turbae neque corpore sistens sella levaretur.* Ubi *sistens* non recte explicari video. Volunt enim simplex esse positum pro composito, ut sit *resistens.* Quod et fieri omnino posse nego, et hic fieri non debet, quia alienam nanciscimur a Taciti mente sententiam. *Sistens* est potius *se sistens*, *stabilis.* Nam ille infirmis podagra pedibus (*corpore*) et senectute fessus (*aetate*) recto talo incedere, stare non poterat.

Capite iterum proximo, 36, dum consuetudinem acrius consultant, optimam codicis lectionem proturbaverunt restituendam. Exercitus ardor ignavae plebi opponitur: *Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non, tanquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque affluentium militum aspexerant, pressare manibus, complecti armis, collocare iuxta*, etc. *prensare manibus* corrigunt, ut candidatorum duntaxat memores simus, et quasi non istud *pressare* et *complecti armis* et cetera omnia ipsa nobis militum fortia pectora depingant.

In capite 37. liberius mihi ita corrigi videtur: *quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata?* nam cod. habet *in castris.* Unde proclive est putare, post usquam *in* excidisse, ut scribamus: *quae usquam in provincia, quae in castris.* Atque plena haec verba ed. Spir. exhibet. Fortasse id obfuit veritati, quod *provincia* pro *provinciis* rarior est. Sed eadem fere ratio, neque minus per correctores nobis erepta, occurrit in cap. 76: *Simul Aegyptus omnisque versa in Orientem provincia nomine eius tenebatur.* Sic enim codex, nisi quod contrario vitio hic habet *versam in*, duplicata prave litera *m*, quam supra alteram omiserat. Vulgo scribunt *omnesque versae* etc.

In capite 38. rescribimus: *Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem adversantes.* Erat quondam Scaligerorum, Muretique temporibus ea ingeniosorum hominum libido, ut, quia *aversus* saepe cesserat *adverso*, ubicunque id aliquo modo fieri posset, illud huius in vicem reciperent; itaque vel hic, ubi *aversantes* deos multo minus habemus, quam *adversantes*, tamen illos his praetule-

runt. Sed et hic et in capite primo codicum lectio servanda est: *Sed ambitionem scriptoris facile adverseris.* Utramque vocem, quid differant et cur utroque loco *adversari* probissime dicatur, explicare nulla videtur esse necessitas. — Eodem in cap. 38: *nullus cunctationis locus*, ubi *cunctationi* plerique favent, iam a Walthero defensus est.

Hist. I., 40.

Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis impulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu. Neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti voltus et conversae ad omnia aures. Non tumultus, non quies; quale magni metus aut magnae irae silentium est.

Verba notata e coniectura sunt. Nam codex habet Rittero teste *lugubri arospectus.* Quae si vera correctio est, saltem comma inter *templa* et *lugubrem prospectum* est inducendum. Nam sententia non potest alia esse, quam completa fuisse templa in lugubrem prospectum, i. e. ut inde lugubres res in foro futuras prospicerent. Et concinere ei descriptioni leviter rem intuenti videatur Plutarchus, qui cap. 26: *τῶν μὲν οὖν πολλῶν δρόμος ἦν οὐ φυγῇ σκιδναμένων, ἀλλ' ἐπὶ τὰς στοὰς καὶ τὰ μετέωρα τῆς ἀγορᾶς ὥσπερ θέαν καταλαμβανομένων.* Neque tamen recte correctum censeo. Quae enim ea infantia est, qua a templis, atque eodem quidem casu sexto retento, subito aberratur ad populum inde prospectantem, ita obscure, ut plerique falso interpretari videantur. Nam istud comma interpositum, quod supra delevimus, monstrare videtur, templorum prospectum ipsum eis lugubrem videri, qui nullus est. Ut autem multa in Tacito saepe dura, saepe etiam neglecta experimur, ita non ibi facile sic labatur, ubi ornatum, quod hic est, industria quaerit. Illud etiam interpolationem coarguit, quod populo lugubria visa fuisse narrantur, quae ignavae isti hominum faeci vel laeta videbantur vel non ita tristia. Sed quod maius est, et literae peccantis codicis et tota orationis consulto et pulchre ad miserationem compositae partitio nos alio ducunt. Nam proximo demum versu, ut ipse vides, ad populum venit, et ita quidem eum inducit, ut locorum descriptioni eum opponat. Unde consequens est, ut priora non eius aliquam actionem contineant, sed ad loca sacra omnia sint referenda. Ea vero non sane propter id lugubrem prospectum praebebant, quod multitudine erant completa. Nam non in lamentationes effusus deorumque opem supinis manibus implorans populus illic conspiciebatur, sed in exspectationem omnes erecti. Itaque et haec rerum dispositio et literarum ductus (*lugubri arospectus*) eo me ducunt, ut coniiciam: *completis undique templis lugubria prospecturis.* Vides literam *a* adhaesisse proximae voci, *prospectu's* autem, si addas id comma', quo syllaba *er*, *ir*, *ri* et ab aliis plerisque et a nostri codicis librario significari solet, sponte praebebit *prospecturis.* Et egregie, nisi fallor, templis deorum is sensus tribuitur, quo maiore cum sollicitudine, quam incuriosus ille sui et alia omnia agens populus, instans id facinus quasi testes et ultores adventare videbant. Itaque deinde etiam, et eodem quidem in capite, ubi militum furorem huic Urbis miseriae consulto opponit, eandem hanc rem urget: *Truces armis, rapidi equis forum irrumpunt. Nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio — terruere.* Ut autem ad Plutarchum recurram, is brevius et in epitomen hanc rem contrahens quasi spectaculo intentum nobis populum illic demum demonstrat, ubi iam milites Othonis irrumpunt: *Οἷα δ' ἐν πλήθει τοσούτῳ, τῶν μὲν ἀναστρέφειν, τῶν δὲ προϊέναι — βοώντων, — ἐφαίνοντο πρῶτον ἱππεῖς, εἶτα ὁπλῖται. — Τῶν μὲν οὖν πολλῶν δρόμος ἦν,* etc.

In capite 42: *Quod seu finxit formidine, seu conscientia coniurationis confessus est, huc — eius vita — inclinat,* si *conscientiam* legendam aiunt, argutari mihi videntur. Nam poteras dicere, quod seu finxit, seu confessus est, eique deinde utroque loco causam vel fictionis vel confessionis ablativo adiungere. Nam, *quod* totum factum praecedens complectitur.

Hist. I., 43.

Insignem illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit. Centurio is praetoriae cohortis a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans, ac modo manu, modo voce vertendo in se percussores, quamquam vulnerato, Pisoni effugium dedit.

Scrupulus ante omnia hic interpretibus eximendus videtur. Nam quum Plutarchus et Xiphilinus Sempronium in defendendo Galba cecidisse tradant, Tacitus eius fortitudine effugium datum esse Pisoni dicat, discrepare de facto inter se eos auctores arbitantur. Quod nequaquam ita se habere, facile intellectu est. Omnis enim discrepantia, si accuratius inquiris, non ab ulla facti varia fama, sed a scriptorum diverso ingenio profecta esse reperitur. Quapropter quum et illi et hic fortissimi militis honestum factum tradere posteris vellent, illi quidem, quid perpessus esset admirati, occubuisse eum dixerunt fortiter pro Galba imperatore dimicantem. Hic contra, quid unus homo fideliter obnitens contra plurimos efficere possit, exemplo monstraturus, eripuisse alterum dicit, quamquam vulneratum, Pisonem. Illo vero dissipato errore alios simul multos, qui, ut fit, ex illo primo propullulaverunt, dispulimus. Nam si illos auctores, ut modo docui, concinere re, distare consilio vidissent, simul id liquere debebat, militem, qui occumbere pro alio, alium eripere hostibus potuisset, ex uno eodemque loco tuitum esse utrumque. Atque id etiam tam rerum ordo, quam Taciti verba coarguunt. Nam cap. 39. Piso Galbam foro appropinquantem assequitur. Hinc simul proficiscuntur una comitante cohorte praetoria, eiusque ipsius studia, derepta Galbae imagine, in Othonem manifesta (c. 43.) nudos defensoribus imperatores destituunt. Quid igitur magis naturale, quam sella gestatum Galbam a filio Pisone, dum undique irruentes hostes eos urgent, esse defensum, utrique fidum adstitisse centurionem? Eamque veram rei naturam interpolatorum codicum auctores pulchre intellexerunt, qui Florentini falsam, ut opinabantur, lectionem ita corrigebant; alteri: *Centurio ad Galbae custodiam a Pisone additus;* alteri ita: *Centurio praetoriae cohortis ac Galbae custodiae a Pisone additus.* Utrique enim in sella cubanti ac pedibus aegro Galbae providendum fuisse a Pisone non inficete putabant. Lipsius vero hic dissidere auctores ratus, et simul fortasse Pisonem ante (cap. 34.) in castra fuisse praemissum memor, sed eundem redisse ad Galbam (cap. 39.) immemor, huic potius, quem nescio in qua urbis parte defenderet, custodem addendum credidit, et, a codice insuper interpolato pellectus, ita, ut supra legisti, caute tamen et sibi ipse diffidens, correxit: *a Galba custodiae Pisonis additus.* Argumenta vero, quibus priorem lectionem profligare studet, ut a tantae sagacitatis viro exspectes, non sane debilia sunt; qui, „Quid enim? quaerat, a Pisone custos hic Galbae appositus? quomodo potuit aut debuit? cum Galbae sane, ut principi, legitimi sui custodes et stipatores fuerint. Denique unde ea auctoritas Pisoni?“ Quamquam extremum quidem hoc facile vincas. Nam auctoritatem Pisoni ultima necessitas imposuerat, qua patri aegroto et seni erat prospiciendum. Alterum autem verissimum. Nam nihil plane, in hac praesertim exempli brevitate, dicere attinebat, in custodia imperatorum tum eum centurionem fuisse.

Multo autem minus erat dicendum, ac ne poterat quidem dici, ab utro utri esset appositus custos, ut qui huc illuc occursans hostibus in utroque defendendo concidit. Hinc iam satis aperuisse mihi videor, in eo et interpolatorum et Lipsii gravissimum errorem esse positum, quod verum invenisse sibi videbantur, quum ex codicis lectione *addictum*, refinxissent *custodiae additum*. Eius autem codicis lectio, nisi quod *custodiaet* male copulat, haec est; *Centurio is praetoriae cohortis, a Galbae custodia et a Pisonis addictus, stricto pugione occurrens* etc. Atque ea quidem verba ab omni parte integerrima sunt. Nam *addictus* est devinctus, plane deditus. Deditus autem fuisse dicitur *a custodia*, i. e. a parte custodiae, propter custodiam, quia custodiae suae id officium ac munus esse putabat. Itaque plane idem haec verba habent, quod tradit Plutarchus in cap. 27.: *Σεμπρώνιος Ἴνδιστρος* (nonne vitium ab itacismo profectum et ita solvendum?: *Σεμπρώνιος ἦν Δῆνσος*,) *ἑκατοντάρχης, οὐδὲν ἰδίᾳ χρηστὸν ὑπὸ Γάλβα πεπονθὼς, τῷ δὲ καλῷ καὶ τῷ νόμῳ βοηθῶν προὔστη τοῦ φορείου*. Iam vero, si ex me quaeris, an Tacitum ita potuisse scribere censeam: *a Galbae custodia et a Pisonis addictus*, nego id quidem negitoque. Ego potius ita argumentor: Quum ea verba per omnia integra sint, i. e. nihil usquam, in quo a librario peccatum sit, prae se ferant, multoque minus viam aliquam ostendant, qua eundum sit correcturo; quumque simul a toto Taciti ingenio longe longeque discrepent, eamque referant orationem, quae subito in nobis natam sententiam magis significet, quam distincte eloquatur; denique quum nihil contineant, quod ad plenam et perspicuam Taciti orationem desideretur, qua hominis honesti quidem, sed non nobilis fides breviter tangitur; nihil aio posse verius videri, quam glossam nos deprehendisse, omni modo ex his libris eiiciendam, appositamque ab aliquo, qui una muneris fide, nec ullis propriis beneficiis illectum eum centurionem fuisse, vellet breviter adnotare.

Aliud praeterea eodem in capite vitium eximendum est: *Piso in aedem Vestae pervasit, exceptusque misericordia servi publici et contubernio eius abditus, non religione nec caerimoniis, sed latebra imminens exitium differebat, cum advenere missu Othonis, nominatim in caedem eius ardentes Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus et Statius Murcus speculator.* Unumquemque enim me consentientem habiturum confido, cum *ardentis* esse rescribendum statuo, postquam librarii saepe iam notata industria ad proxime subsequentes Murcum et Sulpicium *ardentes* addidit. Nam unde factum foret, ut milites illi gregarii prae ceteris Pisonis odio arderent? Unde factum, ut id tam notabile esset odium, ut omnes id in causa caedis fuisse scirent? Unde factum, ut ita ardentes missum tamen Othonis exspectarent? Quid, quod ne poterant quidem illum odisse, quum nuper demum alter eorum a Galba esset civitate donatus? Potius illud *nominatim* demonstrat id hic significari, quod pluribus Plutarchus extulit, cap. 27.: *Τὸν δὲ Ὄθωνα τῆς κεφαλῆς* (*τοῦ Γάλβα*) *κομισθείσης ἀνακραγεῖν λέγουσιν Οὐδέν ἐστι τοῦτο, ὦ συστρατιῶται, τὴν τοῦ Πείσωνός μοι κεφαλὴν δείξατε.* Hinc igitur illa tanta Sulpicii immanitas efflagravit, ut etiam patroni filium, atque in ipso Vestae templo interimere non dubitaret.

In capite 48. iterum vero obfuisse Rhenani auctoritatem video. Nam cum codex ita peccet: *cum vigilias* (mulier) *et cetera militiae munia eadem lascivia temperasset*, illum auctorem secuti plerique omnes legunt, *temerasset*. Sed nimis ea vox gravis in hac mulieris lascivia. Nam *temerare* et apud alios et apud Tacitum semper ad sacra laesa refertur. Possunt igitur castra etiam *temerari* ac *pollui*, veluti Annal. I., 30.; sed caede vel seditione, laesisque aliquo modo religionibus, non vero eo, quod mulier lasciva militiae munera obire tentat. Hoc igitur verbum, *temptasset*, non minus

saepe, quam temerare, ab similibus verbis expulsum reddere, praeeuntibus aliis, Tacito debebant.

Praeterea eodem in capite iam anno superiore, pag. 20. sua vox Tacito reddita est: *Mox Galbae amicitia in abruptum tractus, audax, calidus, promptus.*

Eodemque in libello, pag. 19., demonstrare conatus sum, in cap. 49., ita esse verba ordinanda: *Galbae corpus diu neglectum et plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in propriis eius hortis licentia tenebrarum contexit.* Neque nunc utroque de loco aliter sentio.

In cap. 51. Dudum a VV. DD. correctum erat: *Viri, arma, equi ad usum et ad decus supererant.* Nunc ex cod. Flor. revectum est *dedecus* perperam. Nam primum illud dedecus non ita potest exponi, ut exponitur: ad cives trucidandos. Deinde omnis haec descriptio exercitum nobis monstrat facili praeda lascivientem, qui *diu infructuosam et asperam militiam toleraverat*, nunc caeso Iulio Vindice, *ferox praeda gloriaque, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat.*

Hist. I., 52.

Difficile iudicium est de hoc capite: *Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur* (in Vitellio). *Et Vitellius apud severos humilis, ita comitatem, bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena.* Namque *et-ita*, quod Walther volebat, vix se tueatur. Neque ob eandem causam Grotii coniecturam probarim, *et Vitellius — id comitatem.* Nam utraque lectio nobis Vitellium monstraret, qualis esset; hic autem narratur, quid fecerit, et quomodo id sit acceptum. Eoque nos et *ita* dirigit, et oratio insequens, *faventes bonitatem vocabant, quod donaret.* Tantopere autem curavit Tacitus, ne naturam Vitellii describi putaremus, ut coniunctivo etiam usus sit, *donaret, largiretur*, ubi indicativum res flagitabat. Nam coniunctivo videtur iudicantium de Vitellio oratio tradi. Illi vero plane diversa senserunt, nam *bonitatem* nominabant, quod Tacitus *sine indicio donare, aliena largiri* nuncupat. Quae si vera disputo, etiam in priore membro post *et* particula est interponenda. Eamque dedit Rhenanus, *et ut Vitellius — ita*, omniumque fere tulit assensum. Neque tamen ego possum accedere. Nam per *ut-ita* hic non paria vel disparia componi, ipsa res docet. Debebis itaque *ut* interpretari, *quotiescunque, quando.* Sed ita quidem usurpatam particulam nunquam apud Tacitum sequitur *ita.* Neque omnino eius particulae hic locus est, quae facti repetitionem et regulam continet, sed eam requirimus, quae exemplum habeat. Itaque multo etiam minus C. Ritterum sequor, qui, omissa *et*, *ut-ita* dedit. Nam illud *et* plane abesse non potest. Habet enim hoc Tacitus in Historiarum libris, (nam in Annalibus non me legere memini) ut de eodem homine docere pergens, ubi ab aliis *is* vel *idem* ad pondus augendum additur, nomen proprium in assumptione repetat.*) Veluti nostro hoc loco fieri vides; vel Hist. I., 48.: *Et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari iussit. Sed Vinius proconsulatu Galliam severe rexit.* Item II., 63.: *Sed Vitellius — occidi Dolabellam iussit.* III., 4.: *Nam Flavianum impulerat.* Et 52.: *Namque Mucianus tam celeri victoria anxius.* Iis igitur omnibus exemplis, ut par est in assumptionibus,

*) Aliud est, et probe ab hac observatione seiungendum quod omnino nominum amantior est Tacitus, quam pronominum. Velut I., 70.: ***Nuncium accepit alam Silianam sacramento Vitellii accessisse. Pro consulem Vitellium*** etc.

particulam nomini adponi vides. Quam ne in nostro quidem loco eripere possumus. Eae autem me causae moverunt, ut ita hunc locum scribendum putarem: *et si Vitellius apud severos humilis, ita comitatem* etc.

In cap. 53. Caecinam *animi immodicum cito sermone*, i. e. citato, *erecto incessu* insignem fuisse ut codices traduent, non *scito*, ut suspicabatur Lipsius, anno superiore, pag. 13., iam monui.

Hist. I., 55.

Ac ne reverentiam imperii exuere (legiones superioris Germaniae) *viderentur, senatus populique Romani obliterata iam nomina sacramento advocabant, nullo legatorum tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quisquam in modum concionis aut suggestu locutus.*

Verba notata C. Ritter a Latinitate laborare et ab aliena manu, ut praecedentia, *in modum concionis*, inde explicarentur addita arbitratur. In quo me non adsentientem habet. Nam cui in mentem veniat haec verba explicare, *in modum concionis?* Et quis id explicet *suggestu?* praesertim si id Latinum non est? Praeterea explicatio esset falsa. Neque enim utrumque idem est. Nam potuit aliquis apud multos in modum concionis loqui, neque tamen religionem et caerimonias suggestus laedere. Atque haec semper probe distinguuntur, velut in cap. 36., in castris est *tantus ardor, ut, non contenti agmine et corporibus, in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent.* Et ut *suggestu loqui* non dicatur, potest tamen sic dici post verba, *in modum concionis*, in quibus ablativi insequentis quasi quaedam commendatio inest. Melior certe esset et mollior ratio, praepositionem addidisse, quam verba non levia leviter expunxisse. Sed non est obliviscendum, quam late sensim apud Tacitum nudi hi ablativi patere coeperint. Veluti libere ego me diu haesitavisse fateor Hist. I., 13.: *Hi* (Vinius, Laco, Icelus) *discordes et rebus minoribus sibi quisque tendentes circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur.* Nam ne in mentem quidem venerat, fuisse eos discordes *in* rebus minoribus. Quod non ridebunt, qui recte Latinae linguae usum didicerint. Nam Romani eos ablativos, quos per particulam *cum* explanare solemus, tum tantum nudos collocant, quando singula facta describunt, *cum res minores essent, da es geringere Dinge galt;* contra praepositionem *in* addunt, quando quandam legem et regulam proponunt, qua ea facta tanquam in orbem quendam concluduntur, *quando res erant minores*, wann es, etc. Itaque diu putabam legendnm esse, *et rebus minores sibi quisque tendentes*, i. e. rerum magnitudini impares sua quisque commoda curantes. Neque lenior, ut alterum exemplum afferam, oratio est, Hist. I., 2.: *Haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae ora.* Quem alii multi, in quibus honoris causa Lipsium nomino, ablativum putant, ego haustarum urbium appositionem esse iudico, ad quam *hausta* mente addimus.

Sed aliud in loco praescripto vehementius me commovet. Nam illud, *ut in tumultu*, quo tandem pertinet? *Quibusdam, ut fit in tumultu, turbantibus!* Quid igitur faciant in tumultu, nisi turbabunt? Deinde, hoccine in tumultu fieri consolet, ut tribuni et legati notabilius turbent? Neque reticebo, quomodo haec defendi aliquo modo possint. Nam descripserat capite superiore ita parva eius seditionis initia: *In sacramento ceteri silentio proximi cuiusque audaciam expectantes, insita mortalibus natura, propere sequi quae piget incohare.* Nunc igitur, ut fit in tumultu, auctores seditionis non

defuisse dicit. Sed eumne tu censes Tacitum esse, cui a me verba subministranda sint? Atque id tamen me fecisse dices, si quae ipse dederit, attente perlegas. Nam inter eam antithesin, *nullo legatorum pro Galba nitente, quibusdam notabilius turbantibus* verbis, *ut in tumultu* nihil loci relinqui, luce est clarius. Atque id magis etiam iudicabis, si alia per primum hunc librum (nam alibi aut nulla aut pauca video) non dissimilia exempla compararis. Facile enim suspicio nascitur, aliquem, qui sibi sapiens videretur, haec talia oracula adspersisse. Quae eo plerumque se produnt, quod per se trita et vulgaris prudentiae, iis locis interponuntur, in quibus plane perversa sint. Ipse modo caput proximum, 56., eadem in re pergens inspice: *Nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.* Ergo hoc in seditionibus tantum fit, ut quo plures ducant, omnes sequantur? Et quod maius est, adeone repente torpens Taciti ingenium experimur, ut, suam ipsius messim praecidat? Dum enim exercitus perfidiam exsecratur, in quo quatuor tantum centuriones Galbae imagines protexerint, potestne addidisse: *ita quidem fieri in seditionibus?* Deinde post egregia haec initia, *insita mortalibus natura, propere sequi, quae piget incohare*, memorabiles hos mihi gradus vide: sed in *tumultu quidam* notabilius turbant, in *seditione*, unde plures sunt, *omnes* sunt. Has subtilitates a Tacito venisse non ego credo. Neque omnino ita, ut hic fingitur, tumultum a seditione distare exemplis probari video. Mirumque eiusdem naturae exemplum supra habuimus, cap. 34., *ut in magnis mendaciis*, ubi correctione, quod plane absurdum esset, delere tentabamus, quum tamen vel ea verba, *ut in magnis*, vel tota ea oratio melius fortasse ad eandem illam insipientem sapientiam referatur et exterminetur. Nam non *in magnis* solum partes suas aliquas fuisse homines gloriari solent, sed prout est ingenium, in levibus, in ridiculis, in mirabilibus, denique in omnibus, unde aliqua ad se vel auctoritas verti vel admiratio possit. Neque distat cap. 39., quod apposuisse sufficiat: *Iam Marius Celsus haud laeta retulerat, cum alii in palatium redire, alii Capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque fit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat.* Nam sine me quivis intelligit, *infelicia* i. e. deorum ira eventu carentia consilia non ea esse, ubi suademus, quae fieri non possunt — haec enim bardorum sunt — sed ea, ubi quae suademus, non fiunt. Sed alius praeterea omnium maxime insignis locus et I., 69. Crudeliter a Caecina in innocentes Helvetios erat consultum atque saevitum. Aventicum, gentis caput, post multa milia caesa, se dedit; deditio accepta, sed nihilominus in Juliam Alpinum animadvertit, ceteros veniae vel saevitiae Vitellii relinquit. *Haud facile dictu est*, ita iam pergit, *legati Helvetiorum minus placabilem imperatorem an militem invenerint. Civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat, cum Claudius Cossus, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit, ut mos est vulgo, mutabilem subitis et tam pronum ad misericordiam quam immodicum saevitia fuerat. Effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere.* Nam hic quidem glossam nos habere ipsa verba aegre cum verbis Taciti consarcinata coarguunt. Aut enim *mutabile* scribatur, aut *immodicus* oportet, aut omittatur *fuerat*, ut tamen grammaticae satisfiat. Sed verissimum fuerit reponere, quod exhibent cod. Reg., Corb., Bud., Agric. et plerumque cum cod. Florent. consentiens ed. Spir. (nam in cod. Flor. hic una charta interiit): *Ut est mos, vulgus mutabile subitis et tam pronum* etc. Sic enim purum putumque glossema ipsum habebis, quod non a Tacito esse multo etiam gravius, quam externa haec indicia, ipsa totius rei natura demonstrat. Nam quid eam vulgi despi-

cientiam nunc promere attinebat? Quae tantum abest, ut a Tacito esse possit, ut tota haec oratio ad collaudandum militum animum prae Caecinae et Vitellii saevitia mitiorem facta sit. Lege modo, quae propter id ipsum adscripsi verba superiora, ut mecum consentias. Deinde quo illa trita descriptio nunc pertinet, *vulgus mutabile subitis*? Quid ergo hic fit subitum aut praeter exspectationem? Ut enim excusabundus dicas, eloquentiam arte trepidam sic tamen aliquo modo posse vocari, quid de sequentibus statues, in quae haec omnia exeunt? *et meliora constantius postulando — impetravere.* Nihil hic inquam fit neque subito neque subitum. Quapropter ego hunc locum ita expurgo atque restituo: *Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat, cum Claudius Cossus — militis animum mitigavit effusis lacrimis. Et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere.*

Hist. I., 57.

Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones aequabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, ut quisque corpore, opibus, ingenio validus.

Non sine causa Lipsius, Acidalius, Ernestius de vitio hunc locum suspectum habuerunt. Sed non recte in eo verbo labem esse putarunt, quod potius vitiosum esse locum aperit, in *ingenio*. Id enim uti in pace ita in bello maxime necessarium et gratum, requirit tamen aliquid in protasi, quo referatur, obliteratum. Quod quale sit cod. Florentinus patefacit, in quo est *pecuniam*. Dubium mihi enim non est, quin haec librarii haesitatio verae huic scriptioni originem debeat: *arma, pecuniam, se offerentes.* Idque iam ante me Riklefs intellexit, nisi quod literas minus rimatus *se ipsos* addi iubebat.

Hist. I., 58.

Saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius adprobrat, partim simulatione vinculorum frustratur.

Libris interpolatis usus adprobantibus cunctis *partim* Lipsius dedit. Nam vitiosam cod. Florentini lectionem librarii, ut tamen aliquid corrigeretur, de sensu parum solliciti alii mutarunt in *parum*, alii in *pari*. Sed ille liber habet *paro*, quod, qui literas Longobardicas recordatur, quivis mihi concedet fuisse mutandum in, *raro simulatione vinculorum frustratur.* Similiter Boxhornius omnium assensum tulit, cum Ann. XIII., 2. correxisset: *Hi rectores imperatoriae iuventae et, rarum in societate potentiae, concordes*, cum codex praeberet *parum*. Pergit deinde eodem in capite docère, Julium Burdonem astu Vitellii militibus esse subtractum.

Ita in custodia habitus et post victoriam demum, statis iam militum odiis, dimissus est. In quo viros doctos omnes codices interpolatos sequi maluisse, quam Florentinum, demiror. Omnes enim *stratis* eum odiis dimissum scribunt. Quid autem melius dicatur, quam odia *sisti*, velut *sistitur sanguis* et quaecunque cursu praecipiti efferuntur? cum contra *strata odia* in hac orationis simplicitate nimis exaggerata videri debeant; nam a tempestate et vi ventorum haec comparatio sumpta foret.

In cap. 64. vulgo haec legimus: *Frustra adversus Aeduos quaesita belli causa. Iussi pecuniam atque arma deferre gratuitos insuper commeatus praebuere.* Sed cum codex *deferret*, ed. Spir. *deferrent* praebeat, haud dubie is modus scriptori reddendus est, quo atrox imperium, unde belli causam se extorquere posse sperabant milites, melius et apertius, quam infinitivo depingitur. Similiter saepe in causa simili locutum Tacitum esse anno superiore vidimus ad Ann. XII., 49.

Capite proximo autem, 65, verbum unum elapsum et ita fere legendum esse, *Unde aucta aemulatio*, probatum ivimus anno 1837 pag. 8. Ubi si Ann. XIV., 42., erepta itidem verba ita supplere conati sumus, *senatusque oppugnatus; in quo ipso erant studia* etc.; fortasse propius ad veritatem erat, ita suadere, *senatusque obsessus*, quae vox facilius a proximorum similitudine hauriri potuerat. — Eiusdem capitis, 65, in fine vulgo ita scribi videmus: *Si fortuna contra daret.* Nunc vero lectionem codicis melius edocti, quae est *c͂araderet*, propius, nisi fallor, Taciti manum sequemur, si solverimus, *si fortuna contra caderet.* nam *c͂a* est *contra.* Idem tamen compendium *causa.* Sic haberes, *si f. causa caderet.* Sed fortunam causa cadere alienum ab hoc foret tenore. Nam a quo nunc fortunam dixeris vinci?

Hist. I., 71.

Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus exemplum ultro imputavit. Nec Otho quasi ignosceret, sed, ne hostes metueret, conciliationis adhibens, statim inter amicos habuit, ex mox bello inter duces delegit.

Apud plerosque media haec verba nunc ita scribuntur: *sed, ne hostis metum reconciliationis adhiberet.* In quibus, ut alia multa taceam, hoc nunc maxime reprehendo, quod a consentientibus omnibus paene libris, quos ego secutus sum, longissime abeunt. nam codices in hoc uno tantum, ut videtur, diversi sunt, quod altera pars levi et vulgari errore habet, *metuere.* Meam vero lectionem iam ante me Walther reposuit, sed non recte est interpretatus. Est autem sententia, neque ea recondita, haec: Otho Celsum non quasi culpam ei condonaret, (*ignosceret*) sed verbis blandis recepit, et quasi in beneficium in se collocandum sponte illum allectaret (*conciliationem adhibens*). Itaque eum inter amicos et duces habuit. Haec quidem simplicia omnia; sed supersunt verba, quae tot molestias interpretibus exhibuerunt: *ne hostes metueret.* Sed quod eorum sententiam minus assequebantur, in causa erat, quod genitivum *conciliationis* tantum non omnes male spreverant. Est autem hic casus, quo, ut ipsi indices monstrant, nemo quam Tacitus frequentius usus est, ex eo genere, in quo vel *id* addi, vel a Grammaticis *causa*, *loco*, suppleri solet: *conciliationis loco adhibens.* Quo rite intellecto iam sponte patet, *ne hostes metueret*, ipsa esse Othonis verba, quibus Celsum sibi conciliaturus utebatur. nam *conciliationis causa adhibens* imperfecta oratio est, quae accusativi vel integri enunciati complementum desiderat. Inter amicos igitur et duces eum recepit, ne hostes metueret; sive, imperatoriae virtutis laude eum conciliavit, qua Vitellium aliosve hostes facile esset propulsaturus.

Caput 73 de Galviae Crispinillae periculis et potentia tractat. In quo miro modo tempora misceri ipse videbis; nam totum caput praelongum transscribere supersedeo. Sed facili negotio eam difficultatem interpunctione eximes, *consulari matrimonio subnixa et (apud Galbam, Othonem, Vitellium illaesa) mox potens pecunia et orbitate* etc. Nam quia periculis, quibus non sine adversa Othonis fama subtrahebatur, statim gratiam feminae adiungere volebat, quasi postliminio deinde, quot sub imperatoribus illaesa fuisset, interposuit.

Hist. I., 75.

Utrisque [insidiatoribus] *frustra fuit, Vitellianis impune per tantam hominum multitudinem mutua ignoratione fallentibus; Othoniani novitate voltus, omnibus invicem gnaris, prodebantur.*

Sic nunc auctore Rhenano hic locus legitur; nam codices habent *ignaris*. Atque commode ita posse corrigi neminem fugit. Itaque pietas erga illum virum tot nominibus de Tacito ac de nobis meritissimum diu fecit, ut dubitarem, an ei in re incerta tum levi obloquerer. Deinde tamen veritus, ne quod verum videretur unquam ne ab honestissimo eo quidem sensu obscuraretur, promere, quid de hoc loco sentirem, placuit. Gnarus igitur, quam saepe ab hoc librario vicina nomina casibus conglutinarentur, hic quoque verum casum nobis subtractum et reponendum putavi, *ignari*. Quod ut putarem, alia causa accessit. Nam *omnibus invicem gnaris* tantum Othonianos discimus, quia se omnes invicem nossent, illos statim aliunde venisse esse suspicatos. Sed quum legimus, *Othoniani omnibus invicem ignari prodebantur*, non solum Othonianis eos videmus fuisse ignotos, sed ne ipsos quidem quemquam novisse Othonianum, et inter eos haud dubie viros nobiles et omnibus notos. Solet autem etiam in rebus minoribus tam lucidis coloribus uti Tacitus, ut hanc etiam ex mutua ea ignoratione ortam militum primo admirationem et murmura, deinde quaestionem et contumelias ac poenas ab eo et significatas et restituendas censeam. Ceterum et hac interpretatione etiam servari posse cod. lectionem, apparet.

Similiter ex insperata rerum demutatione in capite proximo, 76, irrisionem quandam Othonis quaesivit, quam interpunctione ei eripiunt: *Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuncius, iurasse in eum Dalmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones. Idem ex Hispania adlatum; laudatusque per edictum Cluvius Rufus et statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam.* Vulgo commate distinguitur post *adlatum*, colo disiungitur a sequentibus *Cluvius Rufus:* sed sic, *que* — *et* arctissime iuncta male dirimuntur. Nos lineola, quam Walch etiam Tacito inferebat, haec et talia notamus: So wurde denn Cluvius Rufus in einem Edicte belobt und — gleich darauf Spaniens Abfall an Vitellius bekannt.

Eodem in capite singularis, *omnisque versa in Orientem provincia*, iam supra, ad cap. 37, a me commendatus est.

Hist. I., 84.

Hunc auspicato a parente et conditore urbis nostrae institutum et a regibus usque ad principes continuum et immortalem [senatum] s i c *a maioribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur.*

Pulchram hanc et consulto in fine orationis quaesitam repetitionis figuram, *sic — sic*, quam codex tuetur, eripuerunt nobis interpretes, ac rescripserunt, *sicut — sic*. Quid passi, aut quid veriti, non facile dixeris. Quam non solum ipsa res docet, apprime hic esse aptam, (*also* haben wir dies unsterbliche Institut von unsern Ahnen überkommen, *also* lasst es unsern Enkeln uns übergeben), sed ne in *sicut* demutetur, proxime etiam recurrens, *ut — ita* nos admonet. Sed quam difficile sit, libero animo has res inspicere, Waltheri, at acutissimi hominis, nota nos docet, qui Ms. Flor., inquit, *sic*, quod non video quomodo sanum Jac. Gronovio videri potuerit.

Hist. I., 85.

Et oratio — grate accepta, compositique ad praesens qui coerceri non poterant. Non tamen quies urbis redierat: strepitus telorum et facies belli e r a t, *militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu et maligna cura in omnes, quos — claritudo rumoribus obiecerat.*

Ante omnia *erat* eiiciendum restituendumque quod omnes codices habent, *et.*

Sed praeterea qui hoc fecerunt, sententiis eodem modo, ut praescripta sunt, divisis, non satis orationis naturam aperuerunt. Nihil enim certius est, quam *militibus turbantibus — et maligna cura* non explicari sententiam, *Strepitus telorum et facies belli;* quod tamen efficiunt, qui ita orationis membra coniungunt. Est igitur semicolon ponendum post verba: *facies belli.* Omnino saepe in Tacito, recte disponere sententias, difficillimum est, ut qui non raro, omni spreta membrorum similitudine ac paritate, neglectis etiam ipsis grammaticae vinculis, summam enunciatorum varietatem consulto componit. Idque maxime tum facere solet, ubi ipsae res conturbatae labante ea verborum structura depingendae videntur. Veluti I, 63 locus nostri similis est; de quo nondum quid statuam mihi constat. Nam cod. vitiose scribit, *raptisae repente.* alii solvunt *raptisque*, alii *derepente.* Sed hunc ditrochaeum in incitatissimo hoc orationis ingressu negarim venire a Tacito. Itaque saepe suspicabar, istud *ae* fictum esse ex e^{o}, i. e. *ergo.* Nondum tamen mihi persuasum est, annon, saluta orationis structura, et in iuvandum orationis incessum paragogice istud *que* sit adiectum, ita: *Deviaduri — quamquam omni comitate exceptos subitus pavor terruit. Raptisque repente armis ad caedem innoxiae civitatis, non ob praedam, aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie et causis incertis, eoque difficilioribus remediis, donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere.* Similem ergo ablativum hic quoque habemus, *et militibus turbantibus, et maligna cura,* qui per se integrum orationis membrum continet. Nam thema totius rei hoc est: *Non tamen quies urbis redierat.* Id per suas partes ad caput usque 87 diducitur, his membris: a) strepitus armorum et facies belli; b) milites occulto habitu per domos vagi; c) maligna cura et observatio nobilium hominum, non solum per milites, sed etiam per plebem; d) Vitellianos milites clam urbem ingressos esse ad studia noscenda, suspicio. Hae quidem formidines domos implebant. Sed publica trepidatio etiam maior; a) nam ad omnem nunciorum varietatem vultus fingendi; b) eadem ac vehementior cura Senatus, ut apud gnarum adulationis Othonem; c) Prodigia insuper varia et Tiberis inundatio obstructaeque viae, quibus contra hostem erat eundum Othoni.

De *ponte prorupto* in eodem hoc capite disputavimus anno superiore, pag. 8.

Hist. I., 87.

Summa expeditionis Antonio Novello etc. permissa. Curam navium Oscus libertus retinebat, ad observandam honestiorum fidem immutatus. *Peditum equitumque copiis Suetonius Paulinus etc. destinati-*

Codices — in Flor. iterum hic folium intercidit — non omnino hoc in loco sibi constant, ut in quibus *immutatus, invitatus, imitus* inveniatur. Ea cuncta omnes interpretes spreverunt; neque tamen ipsorum inventa ab aliis comprobata sunt. Plerumque vero quod a J. Frid. Gronovio suadetur, *comitatus* prae ceteris placet. Sed non recte; nam in *comitatu* fuisse is non potest dici, qui navibus praeerat. Neque aliud observarunt viri critici, quod maxime erat tenendum; hic non *novum* munus esse (quod tamen omnia ab interpretibus verba inventa invehunt: *comitatus, simul datus, immixtus, impositus, imputatus* etc.); sed quod Oscus iam dudum habuerat; quum tamen quo magis id indicaret, in mediis perfectis Tacitus imperfecto usus sit, *retinebat.* Finitur autem quoddamodo istud tempus ipso hoc participio, *immutatus.* Munus *retinebat neque mutatus est* navium praefectus, quia ad observandam honestiorum fidem idoneus visus est. Quo quid vel magis Latine dici vel ad sententiam aptius inveniri possit, non ego video. Cur igitur quidquam mutabimus?

Idemque in alio loco eiusdem capitis quaeri potuerit: *Narbonensem Galliam adgredi statuit, valida classe et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Milvium et saevitia Galbae in custodia habitos in numeros legionis composuerat. facta et ceteris spes honoratioris in posterum militiae.* Meram enim corrigendi libidinem dixeris, qua prae *spe*, ab eodem J. Fr. Gronovio proposita, illum nominativum spreverunt. Duo enim ac plane diversa edicta erant, alterum legioni classicae, alterum classi missum; neque igitur potest ablativo hoc illi iniungi; saltem disiunctum hoc ab illo per novum nominativum improbari non debebat.

Hist. I., 89.

Sed volgus et — communium curarum expers populus sentire paulatim belli mala; — quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio et Gaio tantum pacis adversa reipublicae pertimuere. Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita; Nero etc.

Locum longiorem adscripsi, quia in eo quoque iudicium de voce notata fieri non potest, nisi omnem sententiae naturam et progressum accurate tenueris. Eam autem iam vides totam versari in plebe et communium curarum experte populo. Is igitur, ex quo ad unum omnis potentia conlata erat, parum curiosus reipublicae, in bellis tantum de *conversa in militum usum pecunia* et *intentis alimentorum pretiis* conquerebatur. Unde consequens est, *reipublicae* nomen a me notatum plane ab hoc contextu alienum esse et abhorrere, omnesque simul coniecturas concidere, quae id nomen conservent. Neque tamen melius sententiae consuluerunt, qui inducere istam vocem satis putarunt; quod a Lipsio exorsi plerique nunc faciunt. Nam *pacis adversa*, id quod nemo dubitare potest, ad saevitiam principum pertinent. Eam vero *omnes* ita tantum *pertimuerunt*, si reipublicae cladem, tot caesis nobilibus, lamentabantur. Ad eos enim, non ad plebem, ea saevitia referebatur. Hanc contra, plebem, dum illos sensim exstinguunt, fovent, ac panis et Circensium beneficio demulcent ab Augusto principes omnes. Quum igitur sua tantum vel commoda vel incommoda populus numeret, haec quoque sententia falsa est, ac necessario ex vitioso *reipublicae* nomine aliquid inveniendum, quod nobis, qui eam saevitiam timuerint, plebem vero securam reliquerit, apertius commonstret. Idque iam iudicent periti, an recte proponam: *Sub Tiberio et Gaio tantum pacis adversa rei principibus pertimuere.* Vides principum nomen, ut in nominibus saepe per eosdem libros obviis, fieri solet, compendio scriptum, propter *rei* vocem ancipitem male esse solutum in *publicae.* Simile aliquid in *imperatorum* nomine accidit, Ann. XIV, 38. Ibi Classicianus, Britanniae procurator Suetonio discors ita per epistolam scribit: *nullum praelio finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam ipsius referebat.* Legunt pro vitioso, *ipsius*, praeeunte Puteolano, *reipublicae.* Sed magis ex more hominis maligni et temporum, propiusque ad literarum ductus fuerit, si *ipsius* ex compendio *imperatoris* natum dicas; nisi quis hic quoque *principis* nomen praeferat. *Reos* vero *principibus* dici, qui lege maiestatis postulabantur, per se unusquisque intelligit.

Quum in capite huius libri 40mo et *arospectus* et *arospectu* e codice Florentino enotari viderem, utrum verius traderetur, ego incertus ipsum J. Bekkerum, virum praestantem mihique amicum precibus adii, ut quid in eo libro scriberetur, me vellet docere. Ille vero, ut est per omnia liberalissimus, ipsa Furiae manu scriptam Taciti eam collationem ad me benigne misit. Atque in ea quidem cum id vidi, quod paene suspicatus eram, non *arospectus*, sed *arospectu* habere codicem, tum alia multa atque laetiora. Videbam enim omnes praestantis eius libri copias tanta diligentia a Bekkero esse exhaustas, ut nihil fere esset boni relictum; ac non solum summam egregii illius viri fidem, sed etiam praeclaram prudentiam atque industriam esse conspicuam. Namque naturam et codicis et scriptoris ita vitiorum comparatione et literarum permistarum similitudine excusserat, ut qua via esset correcturo eundum, sponte pateret. Quod propter eos hic tangere volui, quos saepe multos vel iniquiores iudices vel etiam iniustos calumniatores operae, quam Tacito J. Bekker dicavit, non sine indignatione exstitisse videbam.

Schulnachrichten.

Uebersicht der von Ostern 1838 bis Ostern 1839 abgehandelten Lehrgegenstände.

Sechste Klasse. Ordinarius: Hr. Coll. Richter. Cursus, halbjährig. Latein. Abth. 1. Declinationen, Genusregeln, Steigerungsgrade, regelm. Conjugationen, Leseübungen und Vocabellernen. Lehrbuch: kl. Gramm. von Bröder. 4 St. Hr. Coll. Roquette. Französisch. Zum Einüben der Aussprache wurden geeignete Vocabeln aufgegeben, dann die beiden Hülfsverben und kleine Sätze gelernt, Lese- und Sprechübungen angestellt nach Roquette's Elementarb. 2 St. Derselbe. Deutsch. Abth. 1. Entwickelung des einfachen Satzes; dessen Glieder und die sie darstellenden Wörterarten; Anschauung der Stamm- und abgeleiteten Wörter. Die Biegung der Wörterarten nach ihrem Verhältnisse zum Satze, woran sich die Lehre über die Conjugation, Comparation und Declination schloß. Sprech- und orthographische Uebungen. Kleine schriftliche Aufsätze begründeten das Gelernte und dienten zur Verstandesbildung. 4 St. Abth. 2. Vorzugsweise Orthographie. Es wurde der Anfang mit kleinen schriftlichen Arbeiten gemacht. 4 St. Hr. Coll. Richter. Religion. Abth. 1. Biblische Geschichte des A. T. und der 4 Evangelisten, woraus die dem jüngeren Alter angemessenen Religionswahrheiten abgeleitet wurden. Belehrung über Matth. 5, 42–48. Cap. 6, 1–15. Bibelsprüche und Liederverse, letztere in zusammenhängender Folge wurden, nach vorhergegangener Erklärung, von den Schülern auswendig gelernt. 2 St. Abth. 2. Einzelne Erzählungen des A. u. N. T. wurden dem kindlichen Herzen und durch Nacherzählen dem Gedächtnisse einzuprägen gesucht. 2 St. Derselbe. Geographie. Abth. 1. Diejenigen Begriffe der mathematischen Geographie, die hier deutlich gemacht werden konnten, wurden entwickelt; hieran schloß sich ein Ueberblick der ganzen Erdoberfläche, durch die Karte veranschaulicht. Genauere Belehrung über Europa und Deutschland. 2 St. Abth. 2. Vom Vaterhause ausgehend wurden die Kleinen, nach vorhergegangenen vorbereitenden Uebungen, auf der Karte weiter geführt, das Faßlichste der physischen Geographie bei den einzelnen Theilen derselben mitgetheilt und so Deutschland und Europa zur Kenntniß gebracht. 2 St. Derselbe. Naturgeschichte. Abth. 1. Im Sommerhalbjahr: Pflanzenkunde. Durch Vorzeigen vieler inländischen Pflanzen wurde die Anschauungskraft geübt. Im Winterhalbjahr: Das Thierreich, von den Fischer, Insecten und Würmern. 2 St. Abth. 2. Nach einer allgemeinen Uebersicht wurden die wichtigsten Säugethiere, Vögel, Amphibien und Fische beschrieben. 2 St. Derselbe. Lesen. Abth. 1. Auf Reinheit der Aussprache und richtige Betonung wurde strenge gehalten. Kleine Prosastücke wurden memorirt. Lesebuch: Poplinski's Muster. 2 St. Abth. 2. Von den ersten Elementen bis zum fertigen Lesen. Sprechübungen. Fleißige Buchstabirübungen, um eine richtige Ortographie zu befördern. Derselbe. Rechnen. Tafelrechnen. Abth. 1. Das Numeriren und die vier Species der benannten und unbenannten Zahlen. Münz-, Maaß- und Gewichtsverwandlungen. 4 St. Abth. 2. Erklärung der Zahlen und Ziffern,

Vorübungen zu den vier Species in unbenannten Zahlen. 2 St. In beiden Abtheilungen wurden Hausübungen angestellt, um mehr Sicherheit in dem Erlernten zu bezwecken. Kopfrechnen. Abth. 1. Die Schüler wurden angeleitet, bei den Aufgaben Erleichterungen und Abkürzungen selbst aufzusuchen und anzuwenden. 2 St. Abth. 2. Durch Versinnlichungen wurden die Werthe der Zahlen verständlich gemacht. 2 St. Hr. Haase. Schreiben. Abth. 1. Hausübungen. 6 St. Abth. 2. Hausübungen. 4 St. Hr. Evers.

Fünfte Klasse.

a) Abtheilung für Gymnasialbildung. Ordinarius: Hr. Coll. Scherling. Cursus, jährig. Latein. Abth. 1. schrieb aus Gröbel wöchentlich 2 Exercitia über die Construction des Infinitivs, des Acc. c. inf., der Conjunctionen ut, quo u. s. w. über die Regeln vom doppelten Nominativ und Accusativ und vom Genitiv. Dabei repetirte sie das ganze Pensum der 2. Abth. vom Anfang bis zu §. 46. inclus. über den Gebrauch der Pronomina. 4 St. In den der Grammatik gewidmeten 2 St. wöchentl. wurde die Etymologie beständig repetirt und dahin gehörige mündliche Uebungen angestellt. In wöchentl. 2 St. wurden einzelne Stücke aus Jacobs's Elementarbuch von den Schülern ins Deutsche übertragen, und vom Lehrer die nöthigen grammat. Bemerkungen beigefügt. Die vorkommenden Wörter, zuweilen auch ganze Sätze, mußten die Schüler auswendig lernen. Außerdem schrieben sie jeden Monat wenigstens ein Dokimastikon, nach welchem sie versetzt wurden. Zus. 8 St. Hr. Coll. Scherling. Französisch. Abth. 1. übersetzte in 2 wöchentl. St. etwa 50 Anecdoten aus Hirzel's Lesebuch, dazu wurde die Präparation angefertigt und auswendig gelernt; in den beiden andern St. Gramm., und zwar: die Pronomina, die regelm. Conjugat., darüber wöchentl. ein Exercitium und alle 4 Wochen eine Probearbeit. Die 2. Abth. lernte lesen, Vocabeln, die Bildung des Plurals, der Casus, kleine Sätze und die Hülfsverben bejahend, verneinend, fragend und verneinend-fragend. 4 St. Hr. Coll. Roquette. Deutsch. Auf dem Wege der Analyse wurde sowohl die deutsche Etymologie als auch schon das Wesentlichste aus der deutschen Syntaxis gelehrt und eingeübt. In 14tägigen schriftlichen Arbeiten wurde besonders die Richtigkeit des Ausdrucks und der Orthographie geübt. Auswendig gelernte Musterstücke wurden vorgetragen und erläutert. 4 St. Hr. Coll. Evers. Religion. Die fünf Hauptstücke aus Luthers kleinem Katechismus, nebst den Gesängen, die beim Anfange der Lehrstunde zum Gebete dienen, wurden memorirt, und die Hauptstücke nach Anleitung des eingeführten Katechismus den Schülern erklärt. 2 St. Hr. Coll. Poser. Geschichte. Kurze Uebersicht der allgemeinen Weltgeschichte; nur bei den folgereichsten Begebenheiten wurde verweilt und nur die merkwürdigsten Jahreszahlen wurden auswendig gelernt. Leitfaden: Kohlrausch Tabellen. 2 St. Hr. Coll. Roquette. Geographie. Nachdem die wesentlichsten Verhältnisse aus der mathematischen und physikalischen Geographie erläutert waren, wurden die europäischen Länder mit Ausnahme Deutschlands übersichtlich durchgenommen nach Grautoff's geographischen Tabellen, mit besonderer Berücksichtigung der Gebirgs- und Flußsysteme. 2 St. Hr. Coll. Evers. Naturgeschichte. Zoologie. Die dritte Hauptgruppe, die Bauchthiere, von der neunten bis zur dreizehnten Klasse, enthaltend die Weichthiere, Strahlthiere, Quallen, Polypen und Infusionsthiere, nebst ihren Familien. Botanik. Einleitung, in welcher die Begriffe entwickelt wurden, die zum Verständniß der Gegenstände dieser Wissenschaft nothwendig erforderlich sind. Das Linneische Pflanzensystem nach seinen 24 Klassen und Ordnungen. Die Dictate zum Memoriren nach Dr. Burmeister's Grundriß. 2 St. Hr. Coll. Poser. Rechnen. Abth. 1: Die gemeinen Brüche; dann die Lehre von den Verhältnissen und Proportionen und deren Anwendung auf verschiedene Rechnungsfälle. Abth. 2: Die vier

Species der benannten und unbenannten Zahlen und die Theilbarkeit der Zahlen. 4 St. Hr. Coll. v. Großheim. Schreiben. 4 St. Hr. Kröger.

b) Abtheilung für bürgerliche Bildung. Ordinarius: Hr. Coll. Dr. Zerrenner. Cursus, jährig. Deutsch. 4 St. Von diesen wurden 2 St. zu Uebungen im Styl — wöchentlich eine schriftliche Arbeit — wie zu Uebungen im freien Vortrage verwandt; in den beiden andern St. wurde die Lehre vom Satze nach Becker's Leitfaden weiter entwickelt, mit Beispielen erläutert und eingeübt, zugleich aus eben dem Buche das Capitel von der Schriftsprache wiederholt durchgenommen. Hr. Coll. Dr. Zerrenner. Französisch. Grammatischer Cursus, Erklärung der Regeln über den Artikel, das Hauptwort, Beiwort, Fürwort, Bildung der Zeiten der regelmäßigen und unregelmäßigen Zeitwörter, gründliche Einübung derselben nach eigenen Tabellen. Wöchentliche Uebersetzungen der Uebungsstücke aus Hirzel's Gramm. Aus Hirzel's Lesebuch wurden Anekdoten übersetzt und auswendig gelernt. Wöchentl. eine Correctur. 4 St. Hr. Krafft. Englisch. Aus Newman-Sherwood engl. Lesebuche wurden ungefähr 50 Seiten gelesen und übersetzt; aus dem Anhange die Regeln über die Aussprache nebst Beispielen und den Elementen der Gramm. bis zu den verschiedenen Formen des Zeitworts incl. gelernt. 2 St. Hr. Newman-Sherwood. Religion, wie Quinta a). 2 St. Hr. Coll. Poser. Geschichte. Alte Geschichte bis zur Geschichte der Römer, nach Dielitz. Hauptbegebenheiten wurden, wenn die Zeit es erlaubte, etwas ausführlicher durch Erzählung mitgetheilt. 2 St. Derselbe. Geographie. Wiederholung und ausführlichere Erklärung der mathematischen und physikalischen Geographie, Uebersicht der Weltmeere und Welttheile, der einzelnen Länder, Gebirge und Ströme Europas, darauf die pyrenäische Halbinsel, Frankreich, Italien und Deutschland nach den Stromgebieten und Gebirgsabdachungen. 2 St. Hr. Coll. v. Großheim. Naturgeschichte, wie Quinta a). 2 St. Hr. Coll. Poser. Mathematik. Geometrie. Nach Erläuterung der Grundbegriffe von den Figuren im Allgemeinen; darauf die Eigenschaften der Dreiecke und die damit zusammenhängenden Sätze; dann das Nöthige von den Parallelogrammen; die gegenseitigen Beziehungen zwischen Parallelogrammen und Dreiecken; die leichtesten Aufgaben von der Verwandlung und Theilung der Figuren. Dabei wurden die Schüler in Handhabung von Lineal, Winkelhaken und Zirkel vielfältig geübt, zugleich aber durch öftere Repetitionen dafür gesorgt, daß der Zusammenhang des Vorgetragenen ihnen klar blieb. 4 St. Hr. Coll. Dr. Zerrenner. Rechnen. Die gemeinen Brüche, dazu übersichtlich die Decimalbrüche. 4 St. Im Kopfrechnen wurde besonders das Ein mal Eins eingeübt. 2 St. Zus. 6 St. Hr. Kröger. Schreiben. 4 St. Hr. Coll. v. Großheim.

Vierte Klasse.

a) Abtheilung für Gymnasialbildung. Ordinarius: Hr. Coll. Evers. Cursus, jährig. Latein. Repetition des früher Erlernten; der grammatische Cursus nach Bröder's kl. Gramm. geendigt, verbunden mit 2 wöchentl. Exercitien nach Kunhardt's Beispielen zu syntaktischen Uebungen, und außerdem mit mündlichen und schriftlichen Extemporalien. Gelesen wurde aus dem 2. Bändchen des lateinischen Elementarbuchs von Jacobs und Döring, Seite 1—54 und Seite 115—123. 8 St. Hr. Coll. Evers. Griechisch. Abth. 1. Leseübungen in Jacobs Lesebuch. Curs. 2. A. I—IV, No. 92. Daneben wurden im ersten Halbjahr Uebersetzungen aus dem Deutschen ins Griechische gemacht, und der etymologische Theil der Gramm. eingeübt. Abth. 2. Die Buttmannsche Gramm. wurde bis zu den Paradigmen der Verba auf μι incl. durchgenommen. Im ersten Cursus des Lesebuchs von Jacobs wurde von I—VIII, b. gelesen. Außerdem lernten beide Abtheilungen

die Präpositionen und fast 300 Verba auswendig. 4 St. Hr. Dr. Dettmer. Deutsch. Es wurde besonders der Bau der Sätze und Perioden auf dem Wege der Analyse entwickelt, und dabei die früher erlernten Elemente der Grammatik wieder eingeübt. Die 14tägigen schriftlichen Arbeiten wurden mit Bemerkungen zurückgegeben. Für den Vortrag frei gewählter poetischer und prosaischer Stücke konnte kaum noch eine sehr geringe Zeit erübrigt werden. 2 St. Hr. Coll. Evers. Französisch. Aus Roquette's Lesebuch wurde in 2 St. die Woche gelesen: L'Education à la mode, par Berquin, und etwa 16 Fabeln und Gedichte, die Präparat. und ein Theil des Gelesenen wurde auswendig gelernt. 2 St. Gramm. Repetition des früheren Cursus, Ableitungstabelle, alle unregelmäßigen Verben, Wortfolge, Gebrauch der Moden und Zeiten, darüber alle Woche ein Exercitium und alle vier Wochen eine Probearbeit. Lehrbuch: Gramm. von Hirzel. 4 St. Hr. Coll. Roquette. Englisch. Aus Newman=Sherwood engl. Lesebuche ungefähr 50 Seiten gelesen und übersetzt, und aus dem Anhange die Regeln über die Aussprache nebst Beispielen und den Elementen der Gramm. zu Ende gelernt. 2 St. Hr. Newman=Sherwood. Religion. Die Lehre vom Gesetz, Glauben und Gebet nach dem Lüb. Katechismns. 2 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Geschichte. Alte Geschichte nach Kohlrausch Tabellen bis auf Augustus. 2 St. Hr. Coll. Evers. Geographie. Asien, Amerika, Afrika. 2 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Mathematik. 1) Geometrie: Die Linien und Winkel, die ersten Sätze vom Kreise, die Lehre von den Flächen im Allgemeinen und die Sätze von der Congruenz der Dreiecke. 2 St. 2) Arithmetik: Die Lehre von den Summen, Differenzen, Produkten, Quotienten, an allgemeinen Größen erläutert, so wie die Theilbarkeit derselben, woran sich die Erklärung der Brüche schloß. 2 St. Hr. Coll. v. Großheim. Naturgeschichte. Wie in Quinta, nur hin und wieder erweitert. 2 St. Hr. Coll. Poser. Schreiben. 2 St. Hr. Coll. v. Großheim.

b) Abtheilung für bürgerliche Bildung. Ordinarius: Hr. Coll. Dr. Deecke. Cursus, jährig. Deutsch. Aufsätze alle 14 Tage. In der Gramm. die Lehre vom Object. Paraphrasirung, Interpretirung und Nachbildung prosaischer Stücke in Poplinski's Muster, Abth. 2. 4 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Französisch. Uebungsstücke aus Hirzel's Gramm. über alle regelmäßigen und unregelmäßigen Zeitwörter bis zum Gebrauch der Zeiten des Indicativs. Die Gallicismen auswendig gelernt. Aus Wahlert's Anleitung zum franz. Sprechen wurde übersetzt und auswendig gelernt: Der Findling, Lustspiel. Aus dem Lesebuche von Roquette Le bon fils gelesen, präparirt, die Vocabeln memorirt, analysirt mit gründlichen Erklärungen der Redetheile und deren Verbindungen. Wöchentl. 1–2 Correct. 4 St. Hr. Krafft. Englisch. Ungefähr 110 Seiten aus William's Reader Vol. I. gelesen und übersetzt. 1 St. Die Gramm. ganz durchgenommen, die Regeln gelernt und die Anwendung mündlich an Beispielen eingeübt. 1 St. Schriftliche Uebersetzungen ins Englische aus Fränkel und Burckhardt. 1 St. Zus. 3 St. Hr. Newman=Sherwood. Religion. Wie Quarta a). 2 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Geschichte. Das Mittelalter. 2 St. Derselbe. Geographie. Die fremden Welttheile. 2 St. Derselbe. Mathematik. Geometrie. In 4 St. die sieben letzten Abschnitte des Leitfadens von Coll. Scherling, enthaltend eine Erweiterung der Lehre vom Kreise, die Lehre von der Winkelmessung, von der Theilung der Kreisbögen, von den Linienverhältnissen und Proportionen, von der Aehnlichkeit der Figuren, von den Linienproportionen beim Kreise, von den Verhältnissen der Flächen geradliniger Figuren, mit dem pythogoräischen Lehrsatze und seinen Folgerungen, von der Berechnung des Flächeninhalts der Figuren, von der Rectification und Quadratur des Kreises. In 2 andern St. wurde der Vortrag der allgemeinen Arithmetik mit der Lehre von den vier einfachen Rechnungsarten begonnen, bis

zur Lehre von der Wurzel-Ausziehung incl. fortgeführt und Alles mit vielen Beispielen eingeübt. 6 St. Hr. Coll. Dr. Zerrenner. Rechnen. In 2 St. Wiederholungen aus der gemeinen Bruchrechnung und aus der Interessenrechnung; darauf die Decimalbrüche und die Waarenrechnung; die fähigeren Schüler empfingen hierauf einige Vorkenntnisse zu Berechnungen nach dem Hamb. Wechselcours. 2 St. sind dem Unterrichte nach dem eingeführten Rechenbuche gewidmet, in welchen bei den respect. Abschnitten auf die Theorie der behandelten Gegenstände hingewiesen wurde. 1 St. Kopfrechnen. Zus. 5 St. Hr. Grube. Naturlehre. Physik: die 6 ersten Abschnitte aus seinem „Leitfaden rc. I. Cursus" durch Experimente erklärt in 2 St. Hr. Coll. Scherling. Naturgeschichte. Im Sommer: Botanik, verbunden mit Pflanzenbeschreibungen; im Winter: Zoologie, Naturgeschichte der Vögel. 2 St. Hr. Coll. Evers. Schreiben. 2 St. Hr. Kröger.

Dritte Klasse.

a) Abtheilung für Gymnasialbildung. Ordinarius: Hr. Prof. Mosche. Cursus, jährig. Latein. Grammatischer Cursus nach Krebs's Gramm. von Geist; die erklärten Regeln wurden gelernt und durch Beispiele aus dem Lateinischen und aus dem Deutschen, mit mündlicher und schriftlicher Uebersetzung derselben, eingeübt. Wöchentlich zwei Exercitia, monatlich ein Dokimastikon, nach Diktaten; die Correctur des Lehrers wurde von den Schülern zur schriftlichen Ausführung der Gründe angegebener Verbesserungen benutzt. Gelesen wurde aus Caesar B. G. lib. VII. von Cap. 55 bis zu Ende, dann B. C. lib. I. bis zur Hälfte, statarisch, mit steter Beziehung auf Gramm.; die erklärten Capitel wurden schriftlich übersetzt und wöchentlich 1 Capitel memorirt. 8 St. Hr. Prof. Mosche. Extemporalia zur Einübung der syntaktischen Regeln nach sachgemäßer Stufenfolge, wöchentl. 1 St. Ovid. Metamorph. die zweite Hälfte des 5. Buches, das 6. von V. 1—412, das 7. von V. 1—100, mit steter Berücksichtigung der grammatischen und metrischen Regeln. Zur Einübung der letzteren wurden wöchentl. kleinere metrische Arbeiten nach Diktaten angefertigt, und zuweilen größere Stücke aus Ovid memorirt. Wöchentl. 2 St. Hr. Prof. Ackermann. Zus. 11 St. Griechisch. Es wurde aus Jacobs's Göttergesprächen Lucians No. IX, X, XI, XII, aus der Odys. lib. I. V. 1—105, aus Matthiä's Lesebuche Lucians Traum und ein Stück aus der Ilias übersetzt, analytisch durchgegangen, die zu Grunde liegenden syntaktischen Regeln entwickelt und eingeübt, und von Zeit zu Zeit ein Stück memorirt, wöchentl. ein Exercitium gemacht und corrigirt und die unregelmäßigen Verba eingeübt. 4 St. Hr. Prof. Ackermann. Deutsch. Stylübungen, nach Abfassung einer Disposition über das gegebene und in der Stunde besprochene Thema; kurze Anleitung zur deutschen Metrik; einzelne Uebungen im Versbau, abwechselnd mit anderweitigen Extemporalarbeiten in den Stunden, während der Zurückgabe der corrigirten Aufsätze; Declamationsübungen, monatlich einmal. 2 St. Hr. Prof. Mosche. Französisch. Gelesen wurde aus Roquette's Musterstücke Th. 1: Lettres de félicitations, lettres de condoléance, lettres de livres en lettres; la petite ville, comédie de Picard; Voyage du Mont-Blanc. In der Gramm. wurden nach der Wiederholung des vorigen Cursus durchgenommen: die Regeln über den Gebrauch der Casus, die Veränderlichkeit des Participe passé und ausführlicher diejenigen über die Moden und Zeiten. Alle Woche eine schriftliche Arbeit; alle 4 Wochen eine Probearbeit. 3 St. Hr. Coll. Roquette. Englisch. Die letzten 3 Aufzüge von Addison's Cato und Shakespeare's Julius Caesar gelesen und übersetzt; ungefähr 35 Seiten aus Lion's Schauspielen schriftlich ins Englische übersetzt und gelegentlich Gedichte diktirt und erklärt. 2 St. Hr. Newman-Sherwood. Religion. Nach dem Katechismus der zweite Artikel; die Bibelstellen wurden nach ihrem

Zusammenhange gelesen und erklärt; einzelne Sprüche memorirt. 2 St. Hr. Prof. Mosche. Geschichte. Die Geschichte des Mittelalters und eine Uebersicht über die Begebenheiten in der neueren Zeit bis zur französischen Revolution. 2 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Geographie. Einleitung und Ueberblick über Europa; darauf die Schweiz und Deutschland, orographisch und hydrographisch dargestellt, mit Anfertigung von Charten; politische Geographie der Schweiz und Deutschlands, mit Anknüpfungspunkten für die deutsche Geschichte. 2 St. Hr. Prof. Ackermann. Mathematik. a) Geometrie, nach Scherling's Lehrbuch vom 4. bis zum 8. Abschnitt incl.; b) Arithmetik, nach Scherling's Leitfaden vom 3. bis zum 7. Abschnitt incl. 4 St. Hr. Prof. Mosche. Rechnen. In den beiden Abtheilungen für das praktische Rechnen in den drei oberen Gymnasialklassen wurde die einfache und zusammengesetzte Regula de tri, die Bruchrechnung, die Interesse- und die Gesellschaftsrechnung vorgetragen, woran sich Belehrungen übee die Berechnung der coursirenden Münzsorten knüpften. 2 St. Hr. Grübe.

b) Abtheilung für bürgerliche Bildung. Ordinarius: Hr. Coll. Dr. Deecke. Cursus, zweijährig. Deutsch. Aufsätze alle 3 Wochen. Uebungen im Paraphrasiren und Interpretiren. Die Hauptmomente aus der Poetik. Extemporalien. 3 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Französisch. Aus Hirzel's Gramm. wurden übersetzt die Uebungen über den Gebrauch der Zeiten, die Regeln über die Präpositionen nach dem Infinitiv, die Régimes der Zeitwörter, die Nebenwörter, Vorwörter und Bindewörter erklärt und die Uebungen dazu übersetzt. Gelesen wurde: Kean, par Alex. Dumas, und beim analysiren die schwierigsten Regeln der Gramm. wiederholt erklärt. Aus Schiebe's Correspondance commerciale wurden Vocabeln gelernt, Uebung im Briefstyl, schriftliche Uebersetzung der englischen Briefe aus Hodgkins. Wöchentlich ein Exercitium. 4 St. Hr. Krafft. Englisch. Die Geschichte der englischen Literatur fortgesetzt vor Johnson bis auf die gegenwärtige Zeit; englisch vorgetragen. 1 St. Schriftliche Uebersetzungen ins Englische, theils Handelsbriefe, theils aus Lion's Schauspiele. Ungefähr drei Viertel von Cumberland's West Indian gelesen und übersetzt. 1 St. Zus. 3 St. Hr. Newman-Sherwood. Religion. Wie III. a). 2 St. Hr. Prof. Mosche. Geschichte. Culturgeschichte des Mittelalters. Geschichte der neuesten Zeit von 1789–1815. 2 St. Hr. Coll. Dr. Deecke. Geographie. Die Handelsstaaten des nördlichen Europa's mit ihren Colonieen. 2 St. Derselbe. Gewerbskunde. 1 St. die Lehre von der Naturproduction. 1 St. die Lehre vom Handel. Zus. 2 St. Derselbe. Mathematik. Im Sommer wurde anfangs in 3 St. die Goniometrie und in 2 St. die Rechnung mit Logarithmen, zuletzt in allen 5 St. die Trigonometrie mit vielen Uebungsaufgaben, die theils aus der Physik, theils aus der praktischen Geometrie entlehnt wurden, durchgenommen. Im Winter: in 3 St. wöchentl. die apollonischen Kegelschnitte größtentheils nach der Methode der Alten, in 2 St. die einfachen arithmetischen und geometrischen Reihen; Zinseszins- und Rentenrechnung, und die Kettenbrüche, nach seinem „Leitfaden ꝛc." Hr. Coll. Scherling. Rechnen. Abth. 1. Wechselreduction; Wechselcalculation nach verschiedenen Courszetteln; Waarencalculation (Englische und Russische Exporten); gemischte Aufgaben in Beziehung auf den Handel. 4 St. Hr. Kröger. Abth. 2. Erklärung der Lehre vom Gelde, des Geldcourses, vom Wechsel und des Wechselcourses, worauf Contocouranten und deren Berechnungen, Waarenrechnungen, Ein- und Verkaufrechnungen und Calculationen folgten. 4 St. Hr. Coll. v. Großheim. Naturlehre. Physik. Im Sommer: Zuerst wurden die allgemeinen Eigenschaften der Körper repetirt, dann die Statik der festen Körper durchgenommen, wobei beständig auf die in der Mathematik gewonnenen Kenntnisse Rücksicht genommen wurde. Im Winter: Die Dynamik der festen, die Statik und die Haupt-

sätze aus der Dynamik der flüssigen Körper. 2 St. Hr. Coll. Scherling. Naturgeschichte. Im Sommer: Botanik, verbunden mit Pflanzenbeschreibungen; im Winter: Zoologie, und zwar Entymologie. 2 St. Hr. Coll. Evers. Schreiben. 2 St. Hr. Coll. v. Großheim.

Zweite Klasse.

Ordinarius: Hr. Prof. Dr. Ackermann. Cursus, zweijährig. Latein. Im Latein. Styl wöchentlich ein Abschnitt aus Weber's Uebungsschule, corrigirt zurückgegeben mit Entwickelung der grammatischen Regeln und des Sprachgebrauchs, zunächst in Bezug auf die dabei vorliegenden Fehler; im letzten Vierteljahr lieferten die beiden ersten Ordnungen außerdem einen größeren freien Aufsatz im Latein., der gleichfalls corrigirt zurückgegeben und die Correctur erläutert wurde. Vierwöchentlich Probearbeiten und wöchentlich in einer Stunde Extemporalien verschiedener Art. Gelesen ward in Prosa: aus Livius das erste Buch und Cicero de amicitia dial., in letzterem besonders mtt genauem Eingehen in die Bedeutungen und den Gebrauch der Wörter und mit den wichtigsten synonymischen und etymologischen Erläuterungen. 5 St. Hr. Prof. Ackermann. An Dichtern: Phormio von Terenz; Virgils Georgik. B. 1. Aeneis B. 1. Aus Weber Delectus poett. pag. 89–118. Vierwöchentliche metrische Arbeiten wurden corrigirt zurückgegeben. 3 St. Dir. Jacob. Griechisch. Die wöchentlichen Exercitien aus Rost's und Wüstemann's Anleitung. 3. Curs. wurden nach der Correctur genau durchgegangen und monatlich ein Dokimastikon geschrieben, auch wöchentlich zur Einübung der grammatischen Regeln ein Extemporale. 2 St. Gelesen wurde Homer. Odyss. l. XXII., XXIII., XXIV., I., II., III. und IV.; kleinere Stücke daraus memorirt. 2, zuletzt 3 St. Plutarch, Themistocles und Camillus bis Cap. 26. 2 St. Zus. 6 St. Hr. Prof. Classen. Deutsch. Beurtheilung der corrigirten deutschen Aufsätze, welche monatlich über aufgegebene Themata geliefert wurden; auch freie Vorträge der Schüler über die wichtigsten Parthieen der deutschen Literaturgeschichte. 2 St. Hr. Prof. Ackermann. Französisch. Gelesen in den Musterstücken Thl. 2: L'Etat des anciens peuples du nord, p. G. B. Depping; Paris il y a mille ans, p. St. Marc Girardin; Monsieur Musard, Comédie de Picard; Jeanne d'Arc, tragédie, p. Alex. Soumez. Jede Woche ein Exercitium aus Roquette's Uebungsstücken. Nach den nöthigen Bemerkungen über die Correctur wurde aus dem Deutschen in das Französische übersetzt. 2 St. Hr. Coll. Roquette. Englisch. Wie III. a. 2 St. Hr. Newman-Sherwood. Hebräisch. Der etymologische Theil der Gramm. Leseübungen zur Einübung der Formenlehre. 2 St. Hr. Prof. Mosche. Religion. Wie in Prima. 2 St. Dir. Jacob. Geschichte. Alte Geschichte. Begriff und Eintheilung, Quellen und Hülfswissenschaften, wichtigste Aeren des Alterthums, Geschichte der Asiatischen Völkerschaften: Indien, assyrische und babylonische Monarchie, Medien, älteste kleinasiatische Staaten, Phönicier, Hebräer; sodann Aegypten und Carthago; darauf Persiens und Griechenlands älteste Zeiten, überall mit Beziehung auf die alte Geographie, die wichtigsten Quellen, Vorlegung dahin gehöriger Charten, Zeichnungen, Münzen u. s. w., auch zum Theil mit Anfertigung von Charten. 2 St. Hr. Prof. Ackermann. Mathematik. Im Sommer: Die drei letzten Abschnitte aus seinem „Lehrbuch der Geometrie. 1. Abth." und die Rechnung mit Logarithmen durch viele Beispiele aus dem rechnenden Theile der Geometrie erläutert. Im Winter: Die Trigonometrie, und sonst wie in Tertia, Abth. b. 4 St. Hr. Coll. Scherling.

Erste Klasse.

Ordinarius: Dir. Jacob. Cursus, zweijährig. Latein. Wöchentliche Exercitien verbunden mit Uebungen nach Rutil. Lupus, oder statt dessen, eigne Correctur der

Schüler nach diktirtem Muster, die dann von dem Lehrer mit dem Exercitium selbst durchcorrigirt wurde. Freie Arbeiten halbjährlich drei. Für das Durchgehn der corrigirten Arbeiten 2 St., und wo Zeit, in ihnen, Disputation und Extemporalien. Gelesen wurde an Dichtern: Horaz, Oden, Satiren, Episteln nach Auswahl; Plautus, Epidicus. 2 St. An Prosaikern: Cicero, Brutus, Dispp. Tusc. 1–3 incl. 3 St. Tacitus, Annal. v. l. XV. zu Ende. Hist. I. u. II. 3 St. Zus. 10 St. Dir. Jacob. Griechisch. Wöchentl. Exercitien aus Rutilius Lupus und zuletzt aus Livius l. XXI. Nach dem Durchgehen derselben wurden die logischen Uebungen nach Trendelenburg: Elem. log. Arist. fortgesetzt. 1 St. Gelesen und erläutert wurden Sophocles Oedipus Coloneus und Antigona bis Weihnacht, dann Theocriti Idyll. 1–5. 14. 15. in 2 St. Von Prosaikern Demosthenis Oratio de corona und Thucydides l. V. cap. 1–12 und ll. VI. VII. VIII. bis cap. 40 in 3 St. Zus. 6 St. Hr. Prof. Classen. Deutsch. Freie Arbeiten wurden drei in jedem Halbjahr geliefert und nach der Correctur mit den Schülern besprochen, wöchentlich ein freier Vortrag gehalten und die Geschichte der Nationalliteratur vom zwölften Jahrhundert bis auf die neuern Zeiten, unter Mittheilung von Probestücken vorgetragen. In der übrigbleibenden Zeit wurde aus dem Nibelungenliede gelesen. 2 St. Derselbe. Französisch. Wöchentliche Exercitien aus Schiller's Uebersetzung des Parasiten; kleine mündliche Vorträge und Disputationen einmal wöchentlich. Gelesen wurde: le Cid von Corneille, Hernani von Victor Hugo, les femmes savantes und der Anfang des malade imaginaire von Molière. 2 St. Derselbe. Englisch. Die Geschichte der englischen Literatur vom Anfang bis auf die Zeit Cromwell's, englisch vorgetragen, und Uebersetzungen aus Lion's Schauspiele. 1 St. Shakspeare's Merchant of Venice und Byron's Bride of Abydos and Lara gelesen. 1 St. Zus. 2 St. Hr. Newman-Sherwood. Hebräisch. Mit dem Lesen und Erklären der vierzig ersten Psalmen wurden beständig grammatische Uebungen verbunden. 2 St. Hr. Prof. Mosche. Religion. Geschichte der christlichen Religion und Kirche. 2 St. Dir. Jacob. Geschichte. Die mittlere bis zum Schluß des funfzehnten Jahrhunderts, mit vorzüglichem Verweilen bei der vaterländischen. 3 St. Hr. Prof. Classen. Mathematik. Im Sommer: die Stereometrie, 2 St., die Kettenbrüche und die Anfangsgründe der Combinationslehre, 1 St. Im Winter: die apollonischen Kegelschnitte, größtentheils nach analytischer Methode. 3 St. Vorausgeschickt wurden die Elemente der analytischen Geometrie. Zus. 6 St. Hr. Coll. Scherling.

Gesang. Abth. 1: dreistimmiger Gesang. Abth. 2: die ersten Elemente, zweistimmige Lieder, Choralgesang. 4 St. Hr. Prof. Mosche.

Chronik. Während wir bei dem Rückblicke auf das verflossene Schuljahr mit traurender Theilnahme bei dem Schmerze verweilen, der das häusliche Glück eines unsrer geehrten Collegen durch den Tod seiner allgemein geliebten und geachteten Frau untergraben hat, muß uns zugleich inniger Dank erfüllen, wenn wir den bis dahin ungestörten Fortschritt der Schule und das ruhige Gedeihen aller ihrer Bestrebungen mit Freude betrachten, und den Vorsatz in uns befestigen, das was ferner gehoben, gebessert und geschafft werden muß, in freudigem Vertrauen auf Gottes Beistand zu berathen und auszuführen, und uns für Alles unbefangen und zugänglich zu erhalten, was uns von Außen her als wahr und gut zugebracht wird. Möge vor Allem in uns selbst das Bewußtsein bleiben, und in allen unsren Umgebungen immer mehr erkannt werden, daß, wenn irgend wo, so in der Schule, der Geist es ist, der lebendig macht.

Das Lehrercollegium hat dies Jahr das Glück genossen, unverändert und ohne Unterbrechung durch Krankheit seinen Pflichten in allen Beziehungen nachleben, und seine, wenn auch sparsamen, Mußestunden der Wissenschaft und Kunst zuwenden zu können. Nur darin ist eine Veränderung eingetreten, daß der Hülfslehrer für das Französische an der Bürgerschule, Herr Caleau, nachdem er viele Jahre uns treu beigestanden und unsern Dank verdient hatte, wegen geschwächter Gesundheit zurücktrat. An seine Stelle erwarben wir Herrn Krafft, und haben die Freude, die ihm anvertrauten Schüler unter seiner unermüdlich kräftigen Einwirkung tüchtig fortschreiten, und ihn selbst mit eben der Unbefangenheit in den Geist unsrer Schule eingehn zu sehn, als wir ihm freundlich entgegengetreten sind.

Das Klassenexamen wurde, nach schon öfter hier angegebener Weise, vom 14. bis 19. Januar in neunzehn Lectionen, jede zu einer Stunde, angestellt; und zwar wurde geprüft, in I. im Französischen und Englischen; in II. im Französischen und Lateinischen; in III. a. im Lateinischen und der Geographie; in Selecta und III. b. in der Naturgeschichte und dem Französischen; in IV. a. im Lateinischen und Griechischen; in IV. b. im Englischen und Französischen; in V. a. im Rechnen und Lateinischen; in V. b. im Rechnen und der Geographie; in VI. im Lateinischen, Deutschen und Rechnen.

Eine neue Einrichtung, von der wir hier Rechenschaft abzulegen haben, ist die Anlegung einer praktischen Rechenklasse für die drei oberen Gymnasialklassen in zwei wöchentlichen Stunden. Es ist eine vielfältig an allen Gymnasien gehörte Klage, daß die praktische Fertigkeit im Rechnen mir der zunehmenden mathematischen Kenntniß nicht gleichen Schritt halte, ja vielleicht durch einseitig theoretische Richtung der Geisteskräfte zurücktrete. Auch scheinen die öfters ergangenen Dekrete, durch vielfältige Anwendung der Theorie auf die Praxis dem Schaden abzuhelfen, ohne den gewünschten Erfolg geblieben zu seyn. Wie wünschenswerth gleichwohl, ja wie unentbehrlich jene gefährdete Kenntniß für die meisten spätern Berufsarten des Gelehrten sei, liegt auf der Hand. Wir unterlassen deshalb nicht, hier vorläufig zu bemerken, daß diese nun seit einem Jahre getroffene Einrichtung sich durch erfreuliche Resultate bewährt, damit andre Anstalten nach unsrem Vorgange sich gleiche Vortheile erwerben. Im nächsten Michaelisprogramm wird von dem Ganzen und der Methode dieses Unterrichts vielleicht ausführlicher gehandelt werden.

Die sechste Klasse war Ostern so angewachsen, daß es räthlich schien, sie in zwei Cötus zu zertheilen, weil nirgends Aufmerksamkeit im Einzelnen so nothwendig, und Ueberfüllung so verderblich ist, als in den untersten Klassen, wo sich das Kind zuerst an die Schulordnung gewöhnen soll. Es muß deshalb jedem Mißverständniß und jedem Versuche, wenn er ja vorkommen sollte, der Pflicht sich zu entziehen, sorgfältig vorgebeugt werden, damit Pünktlichkeit und Pflichttreue von Anfang an zur andern Natur werde. Die beiden Hülfslehrer der Klasse für das Rechnen und Schreiben, die Herren Haase und Evers, haben sich durch Eifer, Einsicht und richtige Behandlung der Kinder unsern lebhaften Dank erworben. Sehr zu beklagen ist, daß wir für diese Klasse noch keinen Spielplatz haben gewinnen können. Denn da der Ton und die Behandlung der Kinder in ihr von allen andern Klassen verschieden ist, so haben wir, wie für einen besondern Eingang gesorgt, so für nöthig erachtet, sie von den Spielen der Größeren während der Erholungszeit abzusondern. Es würde ein wesentlicher Schade für das Gedeihen derselben seyn, wenn wir im nächsten Sommer gezwungen wären, die Kinder mitten unter die Erwachsenen zu bringen; und doch wäre es andrerseits eine nicht zu verantwortende Grausamkeit, sie auch in der Erholungszeit in einem Klassenzimmer zu lassen, dessen Fenster, gewisser Ursachen wegen, nicht einmal geöffnet werden dürfen. Möge es unsrer verehrten Obrigkeit gefallen, diesem höchst dringenden Bedürfniß der Klasse baldigst abzuhelfen!

Ein andrer, und nicht minder dringender Wunsch ist, daß die noch erledigte Collaboratur der Schule, aus welcher Herr Prof. Mosche ausgetreten ist, nicht zu lange möge unbesetzt bleiben. Zwar werden theils durch Herrn Dr. Dettmer, theils durch unsre Collegen die vacanten Stunden auf außerordentlichem Wege versorgt und sind in so guten Händen, daß von der Seite nichts zu wünschen bliebe; aber die Umstände nöthigen, die übergroße Zahl von 24 wöchentlichen Stunden in eine einzige Hand zu legen; und die Kräfte überspannen ist die schlimmste Verschwendung. Um nicht mißverstanden zu werden, und den Einwand hervorzurufen, als ob 24 Stunden doch nicht eine so gar große Anstrengung erforderten, bemerke ich hier nur kurz, daß es keinen täuschenderen Maaßstab geben könne, als Zahlen für geistige Thätigkeit und ihre Beurtheilung. Daher hat die Schule in die Hand des Herrn Coll. Richter für Sexta 28 Stunden ohne Bedenken gelegt; obgleich auch dies in der Ueberzeugung beider Theile, daß diese Art der Wirksamkeit spätestens mit dem 48sten oder 50sten Jahre nothwendig mit einer andern vertauscht werden müsse; aber in höheren Klassen, wo der Geist in und außer der Schule ganz anders in Anspruch genommen wird, und dem eignen Studium durchaus Zeit und Kraft übrig bleiben muß, wäre ein dauerndes Uebersteigen von etwa 20 Schulstunden, wie vielfältige Erfahrung gelehrt hat und noch lehrt, ein Verderben für Schüler und Lehrer; weil die Kraft zu rasch verbraucht wird, und tödtender Mechanismus an die Stelle geistiger Frische tritt, außer der Schule aber ein Fortschritt in den Wissenschaften auf die Länge nicht möglich bleibt. Wo aber dem Gelehrten dieser Quell seines Lebens abgeschnitten ist, wird sich gar bald Versumpfung und Krankheit aller und der schlimmsten Art einstellen. Möge uns diese traurige Erfahrung erspart werden! Denn auch hier ist es leichter zu zerstören, als wieder aufzubauen.

Für unsre Sammlungen und deren Aufstellung hoffen wir im Laufe des Sommers ein Local zu erhalten.

Der Lesebibliothek hat im verflossenen Jahre Herr Coll. Roquette vorgestanden; im nächsten Jahre übernimmt ihre Leitung Herr Coll. Dr. Zerrenner.

Die Schule wird mit den Redeübungen und Versetzungen, Montag, den 25. März geschlossen; der neue Cursus beginnt mit Montag, dem 8. April.

Schülerzahl.

	Kl. I.	II.	III a.	III b. und Selecta	IV a.	IV b.	V a.	V b.	VI.	Summa.
Von Ostern bis Johannis 1838 ..	22	22	21	34	21	36	30	23	53	262
Von Johannis bis Michaelis	22	21	20	35	21	37	31	25	55	267
Von Michaelis bis Weihnacht	19	23	24	30	21	42	37	33	54	283
Von Neujahr bis Ostern 1839 ...	20	23	23	32	20	46	37	36	54	291

Folge

Folge der Prüfungen und Versetzungen des Catharineums.

I. Prüfungen und Declamationen der Schüler des Gymnasiums und der Vorbereitungsklasse.

Donnerstag, den 21. März.

Vormittags von 9–10 Uhr. Kl. 6. O. 1. ½ St. Religion, Hr. Coll. Richter.
W. Gädeke, Vertrauen auf Gott.
½ St. Rechnen, Hr. Haase.
" " 10–11⅓ " Kl. 5. ⅔ St. a) Geographie, Hr. Coll. Evers.
⅔ St. b) Lateinisch, Hr. Coll. Scherling.
C. Krahnstöver, Le petit poisson et le pêcheur.
" " 11⅓–12 " Kl. 4. ⅔ St. Geschichte, Hr. Coll. Evers.
A. Horning, der letzte Seufzer des Mauren, von Pfitzer.
Nachmittags von 3–4 " Kl. 4. ½ St. Griechisch, Hr. Dr. Dettmer.
½ St. Geometrie, Hr. Coll. v. Großheim.
" " 4-5 " Kl. 3. ½ St. Englisch, Hr. Newman-Sherwood.
½ St. Geographie, Hr. Prof. Ackermann.
Wildtfanck, The Common Lot, by Montgomery.

Freitag, den 22. März.

Vormittags von 9–10 Uhr. Kl. 3. 1 St. Lateinisch, Hr. Prof. Mosche.
" " 10–12 " Kl. 2. ½ St. Geschichte, Hr. Prof. Ackermann.
¾ St. Mathematik, Hr. Coll. Scherling.
¾ St. Lateinisch, Hr. Prof. Ackermann.
¼ St. Singübungen unter Hr. Prof. Mosche.
Nachmittags von 3–5 " Kl. 1. 1 St. Mathematik, Hr. Coll. Scherling.
1 St. Griechisch, Hr. Prof. Classen.

Probeschriften und Probezeichnungen werden bei der Prüfung vorgelegt werden; desgleichen die lateinischen Abgangsarbeiten von folgenden sechs zur Universität abge-

henden Primanern: 1) Heinr. Bähr, aus Segeberg; 2) Herm. Siemssen, aus Hamburg; 3) Heinr. Becker, aus Rehna; 4) Gr. E. v. Schimmelmann, aus Altona; 5) Fr. Krüger, aus Lübeck; 6) Herm. Fabricius, aus Itzehoe.

II. Redeübungen und Versetzungen.

Sonnabend, den 23. März, um 7 Uhr Abends

werden die Primaner sich das Vergnügen machen, die Andria des Terenz, doch nicht in antikem Costüme, aufzuführen.

Montag, den 25. März, Nachmittags um 3 Uhr.

Die Schulhandlung beginnt mit einem Gesange. Nach der Versetzung der Schüler der ersten Klasse wird der abgehende Primaner H. Bähr eine kurze Abhandlung über das von ihm selbst gewählte und bearbeitete Thema vortragen: Betrachtungen über Patriotismus und Kosmopolitismus, und zugleich im Namen der Abgehenden von der Schule Abschied nehmen. Ihm antwortet mit einigen Versen, im Namen der Zurückbleibenden, Schwartz. Hierauf erhalten die Abgehenden ihre Zeugnisse. Nach der Versetzung der dritten Klasse wird der abgehende Selectaner J. Steche über das von ihm selbst bearbeitete Thema reden: sur l'amitié, und zugleich im Namen der sechs abgehenden Schüler, die den Cursus der Bürgerschule vollendet haben, Abschied von der Schule nehmen, denen darauf ihre Abgangszeugnisse übergeben werden. Sie sind aus Selecta: J. Steche und Carl Nölting; aus III. b: O. Cropp, M. Feldmann, A. Lieboldt und H. Walte.

Zwischen den Versetzungen der Schüler aus den übrigen Klassen deklamiren:
der Quartaner P. Behnke, Sir Balaam, by Pope.
der Quintaner A. Feldmann, die Buße der Wölfe, von Michaelis.
der Sextaner Fr. Nölting, das Vogelnest.

Die verehrten Behörden der Schule und die Eltern unsrer Schüler, so wie alle Freunde des Schulwesens werden im Namen sämmtlicher Lehrer von dem Unterzeichneten um freundliche und zahlreiche Theilnahme an diesen öffentlichen Schulfeierlichkeiten ergebenst ersucht.

Lübeck, den 9. März 1839.

Fr. Jacob.

OBSERVATIONES
AD
TACITI HISTORIAS CRITICAE.

Particula altera.

Einladungsschrift

zu den
auf den 17ten, 18ten und 21sten März
angeordneten
öffentlichen Prüfungen, Versetzungen und Redeübungen
der Schüler
des Catharineums in Lübeck,

von

Fr. Jacob,
Director und Professor.

Der Anhang enthält critische Beiträge zu Thucydides von Herrn Professor Classen, mathematische Aufgaben von Herrn Collaborator gymn. Scherling und die sechsunddreißigste Fortsetzung der kurzen Nachrichten über das Catharineum.

Lübeck 1842.
Gedruckt bei G. C. Schmidt & Sohn.
Eines Hochedl. und Hochw. Raths Buchdrucker.

Repositas aliquantisper observationes Cornelianas iam ad finem deducere tempus esse videbatur. Nam quamquam nullis eius rei certis promissis me obstrinxi, exsequi tamen incepta, si fieri possit, honestum est, rerum autem mearum ea est ratio, ut quae aliquo modo debeam, cito solvenda arbitrer. Quum igitur post retractatum primum ceteri historiarum libri uno libello complectendi essent, brevibus pleraque verbis profligavi. Nihil vero, neque parva neque magna, praetermisi; neque quisquam mortalium facile quae parva, quae magna sint dixerit. Hoc autem plerumque agendum erat, ut quae codex Florentinus praeberet, vera esse monstrarem; sin id fieri non debebat, ut quam proxime eius vestigiis instaretur. Quod quum ante me alii, prae ceteris Walther, fecisset, si neque in omnibus neque ab omnibus auditi sunt, duae maxime causae obfuerunt. Altera, quod quum vere sensisset, veras non semper iudicii causas attulit; altera, quod incorruptis oculis verum videre paucis a deo datum est. Unum verebar, ne qui, quum venerandis Rhenani ac Lipsii nominibus totiens obsistendum esset, pietatem in me forte desiderarent. Quae verecundia Im. Bekkerum, quem non minus propter candidissimum pectus quam propter acerrimum iudicium veneror, cohibuisse videtur, quominus saepius quam fecit codicis verba reponeret. Verum ut eam quoque impietatis accusationem minus curarem cum multa alia fecerunt, tum quod ipsi Tacito tantum me debere gratissimo animo sentio, ut si quid ei gratiarum referre possim, omnia prae eo studio negligenda videantur. Quod ut mihi contigerit comprecor.

Sequar autem constantiae causa ed. **Fr. Ritteri**, quam parvo parabilem apud plerosque fore sperabam.

Historiarum Liber secundus.

Hist. II. c. 1. Titi Vespasiani a patre ad Galbam missi iter Italicum describit et erectas de eo hominum exspectationes: „Ubi Corinthi, Achaiae urbe, certos nuntios accepit de interitu Galbae, et aderant, qui arma Vitellii bellumque adfirmarent, anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrinque perlustrat. Si pergebat in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti, ac se Vitellio sive Othoni obsidem fore. Sin rediret, offensam haud dubiam victoris. Sed incerta adhuc victoria et concedente in partes patre filium excusatum.“

His in verbis an illud additamentum, Achaiae urbe, a Tacito venerit, vehementer dubito. Nam in ipsis rebus gestis nullam causam inesse, cur in illam provinciam legentium animos consulto vertere Tacitus cupierit, ipse intelligis; neque

minus concedes, eius urbis situm, qui cunctis notissimus esset, docere velle legentes, tum in opere historico, esse subabsurdum. Et alia sunt in hoc opere glossemata; veluti apertissimum illud, II., 98: „etesi [flabra aquilonis] arum flatu.“ Gravius vero vitium ipsam Titi consultationem obsidet. Nam illic certae victoris offensae duae opponuntur excusationes. E quibus altera verissima est a patris auctoritate petita, quam filius exspectare debebat. Alterum vero ridiculum, si incerta victoria se excusatum iri sperabat. Quasi vero non id ipsum victor esset reprehensurus, quod non, dum victoria incerta pendebat, suo eam momento adiuvisset! Itaque scribam: Sed incertam victoriam, et concedente in partes patre filium excusatum. Nunc enim, cum victoris offensam cogitat, sibi opponit, sed id ipsum esse incertum, uter sit victor futurus, iudicium autem, utri adesse velit, non apud se esse, sed apud patrem. Hinc simul patet, ante Sed esse plene interpungendum. Ceterum id hanc coniecturam magnopere adiuvat, quod ed. Spir. accusativum, victoriam, praebet; ea vero editio cum Flor. plerumque conspirat; sed in Florentino folium unum, ad verba cap. 2. haec: et Cyprum insulas, intercidit. Quapropter alia, quae in primo capite incerta sunt, silentio transii.

Hist. II. c. 4. „Quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli labor.“

Recte haud dubie vitium in ultima voce intellexit Rhenanus, qui corrigebat ardor. Et fortasse etiam verbum, quod rescripsit, verum est; nam fieri potuit, ut librarius non tam ductuum similitudine aberraret, quam prave memor laboris id ipsum verbum pro ardore repeteret. Et plus semel ita peccat. Sin id minus verum putabis, suaderem, inexperti belli libido. Nam belli livor, (libor) quod proxime abesset, vel favor, (fabor) vereor ne audacius dicatur. A favore autem non distat fervor. Hoc est, in eiusmodi locis verbo ludere inane est, ac sententiam nos invenisse satis debet prudenti videri.

Hist. II. c. 6. „Sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, praecipitibus, ut assolet, nuntiis.“

Sic corrigunt, cum codd. peccent, precibus. Sed praecipites et temere ruentes nuntii vix ex dignitate imperii sunt. Malo igitur pernicibus. III., 40: „Perditam classem pernicibus nuntiis accepit“

Hist. II. c. 7. „Non fallebat duces impetus militum; sed bellantibus aliis placuit exspectari belli exitum. Victores victosque nunquam solida fide coalescere.“

Sic nunc plerumque is locus legitur auctore Pichena. Quo tamen non solum longius a cod. receditur, qui habet, exspectari bellum cum hi (vel ut alii, cum in) victores, verum etiam sententia Taciti pessum datur. Neque enim, ut historia docet, exitum belli exspectabat Vespasianus, neque tum id placebat. proxime enim docemur: arma in occasionem distulere i. e. bellum exspectavere. Nequaquam igitur verba sana appetenda erant, sed vitiosa, cum hi seu, cum in rite solvenda, ita: Placuit exspectari bellum. Civium enim victores — nunquam solida fide coalescere. Sic plane c. 13. cod. Albin scribit, non Albium, i. e. Albiu solvit Albin, cum esset Albiū; nunc vero cuum solvit cum in, cum esset, ciuiū.n. i. e. civium enim. Civium arma, civium bella, pro armis civilibus etc. saepissime Tacitum dicere, notum est.

Hist. II. c. 10. „Nam recens, Galbae principatu, censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur. Id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebat ad hunc terroris et propria vi Crispus incubuerat etc.

Ita hunc locum cod. exhibet. Corrigunt plerique: Id S. C. — retinebatur. Ad hoc terroris et propria vi etc. De quo ut acre iudicium feratur, ita disputo. Est de accusatione Fausti accuratius disputaturus. Nam „in civitate discordi parvae quoque res magnis motibus agebantur.“ Igitur et quae tunc respublica fuerit et quid accusator ipse potuerit, oratione bipartita seiungit. Rempublicam incertam inter libertatem ac licentiam iam tetigerat paulo supra. Itaque nunc recens contra accusatores factum senatus consultum profert; atque tantum id habet, ut orationem de eo in duo membra dirimat: Recens erat. Id retinebat — Nec immerito. Factum enim erat Galbae principatu, exercebatur tum sub Othone; utriusque autem natura dispar. Altera igitur pars orationis: „Id retinebat,“ docebit, quid mutationis sub Othone Neronis simili id S. C. passum sit vel quid retinuerit. Iam si haec omnia tam certa sunt, ut nihil contra dici queat, consequens est, ut ea correctio quam plerique sequuntur perversa esse debeat. Haec enim nanciscimur. Recens erat S. C. Id retinebatur. Sed si nihil aliud docere volebat, non sane in duo orationem membra dissecuisset. Et dum hic demunt, quo carere non possumus: quid illud S. C. retinuerit, alteri orationis parti id addunt, quod ad eam non pertinet. Nam post rempublicam addit de propria potentia Vibii: „Et propria vi Crispus incubuerat. Ad quod plane suo more pergit per Et, quando insigne aliquod additamentum profert. Eam vero vim orationi plane eripiunt, dum scribunt: „Ad hoc terroris et Crispi“ etc. Est igitur unum corrigendum „ad hunc terroris.“ In quo primum non dubito, quin Acidalius et Walther verum viderint, qui scribunt: retinebat adhuc. Nam desideratur Othonis aliqua mentio et imperatorum antithesis, quam supra induxerat: „Recens, Galbae principatu.“ Difficilius autem iudicium est de genitivo terroris, qui itidem ad hanc complendam sententiam referendus est. Nam aut possis scribere, retinebat adhuc terrorem. Cum enim ed. Spir. terrore referat, apparet in fine huius vocis esse trepidatum. Sed deminuisse vim Tacitum genitivo admodum est probabile. Igitur malis fortasse servare: retinebat adhuc terroris, quod fecit Walther. Sed quamquam dubium non est, quin et insit in genitivo vis ea partitiva, quam Walther in partes vocabat, et Taciti aevo ea huius casus potestas insigniter sit aucta, similem tamen structuram non me legere memini. Unde ego vocem excidisse puto ac sic fere legendum: „Id S. C. — retinebat adhuc aliquid terroris. Et propria vi Crispus incubuerat.“

Hist. II. c. 12. „Suedius Clemens ambitioso imperio regebat ut adversus modestiam disciplinae corruptius, ita praeliorum avidus.“

Ita cod.; corrigunt corruptus, non audiendi. nam ad gramm. recta oratio, „corruptius regebat,“ ad sententiam aptissima est. Adverbio enim mitigatur reprehensio Clementis, magis etiam, si praeter exspectationem adiectivum opponitur, „praeliorum avidus“; eae autem orationis artes prorsus ex Taciti et eius aevi ingenio sunt. Utitur vero illa ambitionis reprehensione mitiore, quia omnes viros fortes admiratur, ac prae Antonio et Aemilio, in quos laus ea non cadit, insignire vult Suedium. Uti hic, sic c. 23. adverbium tueor: „Namque promptius animi Marcius — gladiatores — effudit.

Hist. II. c. 16. „Temeritas tanta mole belli nihil in summa profutura.“ Eleganter Rhen. in summam, sed praeter necessitatem.

Hist. II. c. 18. „Providentiam ducis laudari? Quin prodi Othonem!“

Primam orationis partem a Fr. Rittero eiici, tanto mirabilius est, quod idem ingeniosam Bekkeri emendationem recipit: „Quin prodi Othonem.“ Nam ea climax nihili erit, si illam indignabundi militis interrogationem spreveris.

Hist. II. c. 20. „Uxorem quoque tum eius — gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem acribus oculis introspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo sibi videre.“

Tum, quod cod. praebet, eiiciunt, uon recte. Nam Tacitus Graecae magis quam Latinae consuetudini obsequens haud raro sic tum in simplice narratione adiicit. in aequo sibi ex mea coniectura scripsi; vulgo, in aequo. Sed cod. habet, inequos, in quo sibi latere, commode ad sententiam, suspicabar. Eodem in capite scribunt: „gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.“ Sed fama, quod cod. habet, non minus recte dicetur, si pro ablativo habebis; nam se apud Tac. innumeris locis omittitur: eadem se fama in cetera fore.

Hist. II. c. 21. „In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes et missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum reportans gerunt.“

Plerique I. Gron. sequuntur, qui vitiosum reportans ita corrigebat, dum retorta ingerunt. Sed ego vix verum inventum iudico. Nam in tanto belli apparatu urbano, quantus c. 19. describitur, tum in tam atroce certamine ecquid probabile est, obsessos se in retorquendo missili igne continuisse? Neque casum incendii sic illatum comprobabis, si accuratius rem gestam consideraris. Caecinae milites, impetu Placentiam capturi, aperti incautique muros subiere. Haud dubie igitur ante omnia amphitheatrum, unde ignes in urbem coniicerent, occupaverunt. Quod si per hos conflagravit, casu factum est. Obsessi vero, praetoriae cohortes et vexillarii, peritissimi belli milites, sed artis operum urbisque non suae parum curiosi, tum vero oppugnantium ferocia vehementer incensi, ut his hostium monumentis casu paratis sibique infestissimis pepercerint, nequaquam verisimile est. Ab his igitur sponte amphitheatrum, sed clam, esse incensum, ut civium invidiam effugerent, unicuique in mentem statim venire debebat. Tale igitur aliquid in vitioso reportans latere iudico. Fortasse, dum rem promptius vel ferocius vel pertinacius gerunt. Nam siglis solvendis res agenda videtur, coniectandi vero infinita verisimilitudo.

Ibidem, quod contra cod. scribunt, „a quibusdam e vicinis,“ non „a quibusdam et vicinis“ i. e. et quidem vicinis coloniis; tum „invidia et aemulatione,“ non „invidiae aemulatione,“ nulla causa est. Neque magis demonstrari potest, „noctem esse parandis operibus absumptam, quod corrigunt, quam adsumptam, quod codd. praebent.

Hist. II. c. 22. „redire infracta fama;“ mutant, rediere; sed infinitivum, quem historicum non recte dicimus, plane suo loco illic venire, ipsa res docet.

Hist. II. c. 23. „Spurinna comperto itinere hostium [i. e. Caecinae] defensam Placentiam — et quid Caecina pararet [pergere eum Cremonam] Annium Gallum per literas docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiae ducebat. —

Ubi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coercitam legionem — Bedriaci sistit.“

Mirum, si quid Caecina pararet, tum demum Gallus accepit, quod dudum literis erat edoctus. Corrigo: „Ubi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coercita legio; et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit.“ Legio enim, non Gallus nuntium accepit. Oratio per et inversa librarium in correctionem pellexerat.

Ibid. „Turbata ibi Vitellianorum auxilia, et ceteris Cremonam fugientibus caesi qui resisterent.

Vulgo restiterant; cod. resisterant; sed cum ed. Spir resisterent praebeat, verisimilius est, hic ut aliis locis multis, a esse a librario confusam cum e. Similiter III., 29. scribam: „deturbatis, qui resisterent.“

Ibid. „Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum, nam eos quoque Otho praefecerat, variis criminibus incesserant.“

Incesserant ex cod. retinendum. Quod enim tum in Macro faciebant, dudum fecerant in illis tribus. Nam omnino mores Othonianorum describi, quos caedis Galbianae Furiae exagitabant, sqq. satis aperiunt. Unde simul patet, quid erret Ritter, qui verba „nam — praefecerat“ non recte interpretatus uncis inclusit.

Hist. II. c. 25. „Nam a lateribus cohortes, legionum adversa frons, et subito decursu terga cinxerant equites.“

Corrigit Ritter legionis. Nam primam tantum legionem praelio interfuisse, vexillarios autem legionum nomine comprehendi brevitatem esse vitiosam; neque vexillares fuisse in fronte, sed in parte sinistra. Quibus argumentis cave ne cedas. Nam primam unam legionem adesse, est illud quidem verum; sed vitiose cum ea legionum nomine vexillarios et praetorianos coniungi non concedendum. Nam quum in acie armorum genera maxime valeant, debebat profecto — nisi volebat omnes militum ordines iterum enumerare, quod in hanc brevitatem et actionis ardorem nequaquam cadit — vexillarios addere legioni, cui armis erant simillimi, non cohortibus auxiliarium, a quibus longius distabant. Hoc itaque iure suo factitavit. Nam cum in cohortibus non lateant, si legionis scribes, vexillariis plane omissis vel vitiosius feceris, quam si addideris cum Tacito legionum nomine. Quod vero in sinistra parte vexillarios fuisse Ritter ait, errat, si partem pro cornu ponit et opponit fronti. Nam ita erant instructi:

M. equites.

D. equites. IV. coh. auxil. Vex. III. leg. III. coh. praet. I. leg. II. coh. auxil. D. equit.

(. . . . . in aggere dextra)
(. . . . . viae frons.)

Hinc apparet Tacitum, dum aciem describit, magis locorum naturam respexisse, quam aciem per partes disposuisse. Nam acies deinde a Paulino panditur. Inde est, quod aggerem viae mediam aciem nominat, quam tres praetoriae cohortes tenent. Nam qui ab utroque latere harum cohortium collocantur, non huius paucitatis, quae frontem efficiat, cornua esse sponte incurrit in oculos. Itaque ipse dicit,

primam legionem in dextra fronte fuisse, quod haud pauci interpretes non recte ceperunt. Sequitur vero, ut vexillum tertiae legionis in fronte sinistra sit, in cornubus cohortes auxiliares et equites. Eam deinde frontem legionum nomine comprehendit.

Ceterum **cap. 24.** cum cod. „ferocissimos auxiliaros" et ab ead. m. corr. auxiliariorum exhibeat, haec forma haud dubie recipienda erit.

Hist. II. c. 26. „Timuisse se Paulinus ferebat tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur et periculosis nullum retro subsidium foret."

Corrigunt, perculsis. Sed quoties ab hominibus ad res transitur et ab aliis et a Tacito. Hic vero eo proclivius erat ad periculosa redire, quia a simili oratione deflexerat; timuerat enim Paulinus „tantum laboris."

Hist. II. c. 27. „Haud proinde id damnum Vitellianos in metum compulit, quam in modestiam composuit."

E consuetudine proinde, quod cod. habet, mutant in perinde. Sine causa: Non metus, sed modestia damno respondebat. Non minus proinde Tacito his locis reddenda: **c. 35.**: Nec proinde nutantes e navibus, quam stabili gradu e ripa volnera dirigebant; **c. 39.**: Nec proinde diiudicari potest quid optimum factum fuerit. Nam factum quoque non eripiemus; malunt, factu. **III., 58.**: Haud proinde Vitellium, quam casum locumque principatus miserabantur. **IV., 52.**: Non legiones, non classes proinde firma munimenta, quam numerum liberorum. **IV., 72.**: Nec proinde periculum aut metus, quam pudor.

Hist. II. c. 29. „Tum Alfenus addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibns."

Memoratu dignum est, in cod. hic ab eadem manu addi in margine circuire. Plerumque, quae ita adscribuntur praeferenda in hoc libro inductis verbis.

Hist. II. c. 33. „Iidem illi auctores pepulere, ut Brixellum concederet, ac dubiis praeliorum exemptus summam rerum et imperii, se ipsum, reservaret."

Mirum profecto, quod neque codici, neque Ernestio neque Bachio parere volunt, qui dudum interpolationem, summae, reiecerunt. Ipsum enim Othonem summam rerum et imperii appellant consilii auctores, „qui in adulationem concesserant, ne quis obviam ire sententiae auderet." Id etiam duo illi viri viderunt, ipsum sic tantum locum suum tueri, si retineatur id ad cuius explicationem addatur: summam rerum; nihili autem esse, si scribas, summae rerum se ipsum reservaret.

Ibid. „Is primus dies Othonianas partes adflixit. Namque et cum ipso praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit, et remanentium fractus animus, quando suspecti duces, et ultro Otho, cui uni apud milites fides, dum et ipse non nisi militibus credit, imperia in incerto reliquerat."

Cod. cum aliis: et ut Otho. Ego illam vocem solvens et ultro scribere, quam cum aliis interpretibus spernere malui. Eam enim particulam desiderari certum est. Nam fracti sunt militum animi et quod numerus deminutus est, et quod suspectos habebant duces. Sed ducum quidem facta prave aestimantes et occultis ad Othonem nuntiis criminantes milites iam cap. 23. didicimus. Tum vero ea ducum infirmitas ultro ab ipso Othone aucta est, quia „imperia in incerto reliquerat." Neque enim abiens ad unum ac dignum, ut debebat, imperium detulit (cf. c. 39.) quia „ipse non nisi militibus credebat."

Hist. II. c. 36. „Et praelium quidem abreptis quae supererant navibus fuga diremptum."

Sic quidem, dum alii aliter coniiciunt, plerique J. Fr. Gronovium secuti nunc scribunt. Mihi vero longius recedere ea vox videtur a codd. vitio, arruptis. Memor enim tam similiter in scriptura Longobardica pingi s et r, ut distingui saepe vix queant, vides unam lineolam requiri, ut ex arruptis assūptis potiare. Magis etiam hoc verbum ad rem gestam aptari videtur. Naves enim a Germanis natantibus singulae petuntur. Aufugiunt Othoniani eis „quae supererant." Nonne igitur ex hoc additamento concludas, non abreptis vel potius ereptis aufugisse, sed eis, quas Germani non tentaverant? Unde coniicio: praelium assumptis quae supererant navibus diremptum.

Hist. II. c. 41. „Interruptus tribunorum sermo; eoque incertum fuit, insidias an proditionem vel aliquod honestum consilium coeptaverint."

Dubium mihi non est, quin an et vel locum mutarint. Nam dubitatur inter honesta et inhonesta, inhonestorum electio datur, inter insidias vel proditionem.

Hist. II. c. 49. „Tum adlatis pugionibus, cum utrinque pertentasset, alterum capiti subdidit."

Ita cod.; ac recte. utrinque notat utramque pugionum aciem, quos duos fuisse adlatos alterum insequens satis denotat. utrumque correxit in marg. Beroaldus.

Hist. II. c. 50. „Avem invisitata specie apud Regium Lapidem celebri luco consedisse incolae memorant, nec deinde coetum hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret. tum ablata ex oculis. Et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse."

Luco iam dudum a plerisque VV. DD. rescriptum est pro coniectura, loco. Lucos enim saepe multos hominum frequentia abundasse novimus. Coetu vero tantum non omnes corrigunt. Sed accusativum hunc, quem Graecum prave vocitant, etiam Tacito familiarem esse, nemo negat; ac decet miram hanc fabulam quaesitior ea structura. Neque minus apte ad hoc dicendi genus, finem miraculi afferens, excedit ex oratione pendente: „tum ablata ex oculis." Non igitur ego ausim cum plerisque, ablatam corrigens, hanc elegantiam eripere Tacito, qui utramque orationis formam non semel miscuit.

Hist. II. c. 57. „Oneravitque Asiaticum annulis, foedum mancipium et malis artibus ambitiosum."

Dolendum profecto, quod Walther ad tot de Tacito merita hoc addere noluit, ut cum iam iamque veram hanc ei scriptionem cod. redditurus esset, deinde manum cohiberet, neque eximeret, quod in tritam sermonis urbanitatem relabentes librarii rescripserant, honoravitque. Quid nos eum censorem fecisse iudicaremus, qui cum scripsissemus, u: behängte ihn mit einem Orden, rescriberet, u: beehrte ihn mit einem Orden?

Hist. II. c. 59. „Ipse Albinus, dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauretaniam petit, adpulsu litoris trucidatus; uxor eius, cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est; nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente. Brevi auditu quamvis magna transibant. Impar curis gravioribus exercitum — pergere iubet." etc.

Reduxi varie demutatam cod. scripturam, nisi quod vi omisi, quod in cod. est post, auditu; sic quidem: breve auditu vi. Quippe correctum vitium, vi breve temere nec suo loco in ipsos versus receptum putabam. Ceterum adpulsu litoris plerique, nescio cur, offenduntur. Atqui eo ablativo multo praesentius militum ferocientium caedes ante oculos ponitur, quam eo, quod libri interpolati corrigunt, appulsus litori. Hoc enim participio id tantum docemur, eum post mare traiectum occubuisse; illo, ut primum terram attigisset, in ipso litoris adpulsu, esse trucidatum. Eandemque ferociam habet uxor, cum se percussoribus obtulisset, interfecta. Nam non sponte illam se obtulisse, sed casu esse oblatam particula cum comprobat. Denique transibant multo quam quod ingerunt, transibat limatius dicitur. Nam illud torpentem voracis hominis ignaviam, qua cuncta sic temere praeterfluere non curata sinebat, egregie docet, dum transitivum, transibat aliquam tamen ei tribuit curam negotiorum. Hinc vero sequentis orationis divisio pendet. De eo dubitare aliquis possit, quo ea verba pertineant, „Nihil eorum-anquirente.“ Mihi natura verborum sequentium, „Brevi-transibant,“ quae sententiose proferuntur, postulare videtur, ut praecedentibus accedant. Adde, quod plane e Taciti more est eiusmodi absolutos ablativos velut negligenter adnectere.

Hist. II. c. 63. „Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria, Lucii Vitellii uxor, ultra feminam ferox terruit: E periculo principis famam clementiae affectaret!“

Reddidi cod. lectionem, in quo Furia aeque ac Ryckio auctore, affectaret scribitur. Plerique ne affectaret corrigunt. Sed ita nullam ob causam egregiam imperiosae mulieris orationem nobis eripiunt. Nam affectaret est minaciter iubentis: Iret atque famam clementiae affectaret! *E* quoque, ex ipso principis periculo, belle dicitur, ut in homine miti et gravius conterrendo.

Hist. II. c. 65. „Digressum a Lugduno Vitellium M. Cluvius Rufus adsequitur, omissa Hispania laetitiam et gratulationem voltu ferens.“

Leve est, nec tamen silendum, sic esse interpungendum, non, „adsequitur omissa Hispania, laetitiam — ferens.“ Nam Hispaniam si illuc referres, unam notitiam, unde venisset, contineret; ad sequentia, causam habet; gratulationem enim laturus provinciam omiserat. Quod autem non laturus, sed ferens gratulationem Tacitus dicit, inde est, quia voltu addito in novam rem incidit, ut saepe complura includere in eandem sententiam et declinare paulum orationem adsolet.

Paulo post recte vidisse Ernestium iudico, qui post „praescripsisset“ et excidisse ratus corrigebat: „Et interpretabatur.“ Sine ea particula sequentia simplicem quandam et obiter commemoratam notitiam adderent. Et est emphaticum, et sane; qua non sine argumento mansisse accusationem discimus.

Ibid. Nihil corrigendum his in verbis: „Cluvius comitatui principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, exemplo. L. Arruntium Tiberius Caesar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat.“

Exemplo, ut aliis plurimis locis, absolute ponitur. Sequitur exemplorum comparatio.

Ibid. „Missus in locum eius Vettius Bolanus. E praesentibus angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus.“

Non temere antiqua haec codicum divisio orationis reiicienda mihi videtur. Nam Pichena vel Lipsio auctore distinguunt hodie, B. e praesentibus. Angebat. Sed num e praesentibus Bolanus fuerit, neque scimus, neque si sciremus, magnopere docuisse referebat. Id vero scimus, Vitellii ignaviam nisi quae praesente necessitate urgerent, curas publicas tramisisse. Unde c. 97. „abunde ratus, dicitur, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans.“ Id igitur post leviter compositas res provinciales meminisse nos cupiens, e praesentibus anxium eum habuisse dicit infractum legionum animum.

Hist. II. c. 68. „Apud victores orta seditio, ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam bello auxisset.“

Varie hunc locum tentant, quum omnia sana ac sarta sint. Ante omnia tenendum, quod iam an. 1832 expositum exemplis confirmavi, saepe cum apud Graecos tum apud Latinos duas structuras misceri inter se similes. Nam cum exspectes orationem per sed continuatam, nisi infertur, et contra. Ea vero structura tam etiam Tacito familiaris est, ut melius ei consuluisse videantur, qui ni omissam a codd. addunt, quam qui auxisset demutant in, auxit. Deinde bellum nunc dici, quam ante seditionem vocarat, per se patet. bello vero aucta seditio sic mihi explicanda videtur. Augeri affine est accrescendo, aliisque verbis a praepositione ad auctis. Eaque similitudine, ut haec verba, dativum nunc assumit, qui proxime accedit ad praepositionem ad vel in. Seditio igitur ad bellum, invidiosa exprobratione, aucta est. Sententia igitur haec: Orta est seditio, ludicro initio, sed numerus ea seditione caesorum invidiam rei tantopere auxit, ut bellum vocaretur.

Ibid. „Legati tribunique ex moribus imperatorum severitate aemulantur vel tempestivis conviviis gaudent.“

Et cod. et ed. Spir. casum sextum referunt, qui non minus verus est, quam quartus, quem inferunt.

Hist. II. c. 76. „Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an, quod incohaturi, reipublicae utile, ipsis gloriosum aut promptum effectu, aut non, certe non arduum sit.“

Ita per omnia vere cod. Tamen vel coniecturae vel libris interpolatis parere malunt, et inchoatur scribunt et omittunt alterum non. Unum tamen, quod cod. habet, improbavi, effectum. Nam quamquam id quoque tueri poteris, si iungas: incohaturi, quod effectum reip. utile sit vel ipsis gloriosum; tamen mihi certum videtur, ita iungentem Tacitum effectum non post promptum positurum fuisse, cuius vocis omnis vis non in opere effecto est, sed in efficiendo.

Hist. 2. c. 78. „Nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum et praescium palam habuerit.“

Praeclarum hoc exemplum est, quam licenter Tacitus particulam velut vel ut omittere soleat; nam cum eam superstitionem ipse improbet, non tamen Seleucum habuisse Vesp. dicit ut praescium, sed praescium. Eoque magis id memoria dignum, quod praescius fictus ad mathematicum verum tamen omissa ea particula additur. Simile exemplum hoc est, Ann. 1, 39: „Utque mos vulgo quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti accusant.“ Hic enim non ut tantum, sed tanquam omitti vides. Hoc eorum causa amicorum observo, qui, quum nuper Hist. V., 3. corrigerem: „Utrisque

deserti ac sibimet duces. Caelesti crederent primo, cuius auxilio — miserias pepulissent.,“ cetera quidem probabant, sed ut caelesti addere me iubebant, quo carere non possemus.

Hist. II. c. 80. „Ut primum tantae altitudinis obfusam oculis caliginem disiecit.“

Ita iam Trillerum coniecisse video. codd. multitudinis; plerique tenuiter, mutationis.

Ibid. „Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illi consultare mos est.“ Corrigunt, illis; illi locale est, illic.

Hist. II. c. 88. Nec minus scaevum spectaculum“ non esse mutandum in saevum, illusa ab hominibus urbanis barbarorum inscitia demonstrat, quae statim insequitur: „cum turbam populi per inscitiam parum vitarent aut ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent.“

Hist. II. c. 89. Pons Mulvi hic et III., 82. e cod. et ed. Spir. ab aliis iam recte restitutus est. Ritter eam cod. verecundiam, quae more Taciti eo confirmatur, quo genitivos addere solet, ubi consuetudo adiectiva apponere maluerat, veluti civium arma, campus Martis etc., hac nota avertit: Pons Mulvius est die Falkenbrücke.

Hist. II. c. 93. „Germanorum Batavorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et aestus impatientia labefecit.“

Reducendam Rhenani coniecturam hanc arbitror, quum plerique nunc, Gallorumque praeferant. Nam illuc non solum cod. vitium, Gavorum, si ed. Spir. errorem comparas, Gadavorum, nos ducit, sed Batavorum naturae unice apta descriptio, quae in Gallos vix cadit. Quod autem opponunt, Batavorum cohortes dudum remissas fuisse, nihil me movet; nam multi haud dubie Batavi Germanorum cohortibus immixti fuerunt.

Hist. II. c. 94. Probo Pichenae „insitam inerti animo ignaviam;“ sed cum cod. habeat, mortem, ne unum quidem apicem negligam scribamque, inerte in animo.

Hist. II. c. 95. „Inferias Neronis fecisset.“ Hunc genitivum Neronis dare cod., silendum non erat. Commode enim retinebitur, si fecisset, Lipsii coniecturam, ac stabilitam hoc genitivo, ad sacra proprie pertinere et simplicem accusativum plerumque assumere memineris. Tuetur praeterea Neronis inferias, quod Vitellius eas utpote Iuliae gentis proprias deberi ei dicebat, ut oratio insequens et Augustales aperiunt. erant igitur eius inferiae, non ei datae, ut minus accurate Suetonius.

Ibid. „Nemo in illa aula probitate aut industria certavit; unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans novies milies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur sagina. Et misera civitas eodem anno Othonem, Vitellium passa inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus et Marcellus, et magis alii homines, quam alii mores.“

Meam coniecturam lecturis proposui. Libri enim habent: „intervertisse creditur. Magna et misera civitas" etc. Sed in eo mecum puto omnes consentient, magnitudo urbis ut nobis nunc in mentem revocaretur, nullam plane causam fuisse. Praeterea ea emphasis, qua insequens oratio magna cum miseratione inducitur: „Et misera civitas, Othonem, Vitellium passa [quod asyntheton, decens hanc orationem, nullo modo contra cod. adimendum erat,] — pudenda sorte agebat!" praemissa ista voce, magna, prorsus pessum datur. Accedit, quod cum intervertisse magnam pecuniam Vitellius argueretur, non praeter rem erat addidisse, quo eam consilio esset furatus. Similiter supra ganea in codd. varie deformatur. Omnem vero ingentem istam pecuniam gula perisse ex Suetonio iam Lipsius docuit.

Hist. II. c. 98. „Valentem — tum primum infirmitas tardabat." Tum, non tunc cod. auctore Furia.

Hist. II. c. 101. „Nobis super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox fidem aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum videntur." [Caecina et Bassus.]

Plerique de uno Caecina nunc agi rati, anteiretur — videtur corrigunt. Sed haec mecum reputent. „Iniquam iracundiam perfidia" Bassum ultum supra quidem commemoraverat; sed an alia etiam eundem „pravitas impulerit," ipse statim addit non posse sciri. Deinde „scriptores temporum curam pacis et amorem reipublicae" defectionis causam in utroque tradentes in utroque etiam haud dubie refellit. His igitur iam id opponit, quod sibi verisimillimum videtur. Atque causae allatae in utrumque sane pariter cadunt. „insita levitas," qua uterque nunc ad Vespasianum; „vilis prodito Galba fides," qua ante ad Othonem vel Vitellium defecerant. Quod qui a Lucilio Basso factum denegant, videant, an satis prudenter fecerint. Etiamsi enim Tacitus, ut in multis aliis, nusquam id aperte testatur, ipsi tamen reputent, quid illa temporum iniquitate Bassum aliud in iniquam eam iracundiam impulerit, nisi citra spem parva perfidiae praemia, ut „post praefecturam alae Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam perfidia ulcisceretur?" Quamquam hoc propter id tantum profero, ut etiam insignem eius perfidiam ipsi visam esse demonstrem, quae ne tantis quidem praemiis expleretur. Nam cum ante alae praefectus fuisset, a quo quaeso ei muneri erat praepositus, nisi a Galba vel ab Othone, vel ab utroque? „aemulationis" vero et „invidiae" tam flagitiosa in utroque exempla prope adsunt, ut meo digito non egeant.

Historiarum Liber tertius.

Hist. III. c. 2. „Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete, mihi expeditae cohortes sufficient. Iam reseratam Italiam, impulsas Vitellii res audietis."

Miretur aliquis tot virorum sagacitati tam diu se vitium tam apertum subducere potuisse, quale hunc locum obsidet. Nam auctor consilii is est, a quo primo proficiscitur; suasor vero is, qui eius secundas agit adiutor. Cur igitur hunc illi praeposuit? Profecto si suasore praemisso duo se munera eundem recipere dicebat, non auctorem addidit, sed diversa quaedam coniunxit. Deinde vero quis aliquem, postquam semel consilium proposuit, ne auctor sit, retinebit? Quid, quod omnino ille auctor non erit, sed

fuerat? Nullum igitur mihi dubium est, quin scribendum sit: „idem suasor actorque consilii ero.“ Eoque promisso, ut sequentia docent, ille stetit. Aliud vero vehementer dubito, an reseratam mox Italiam, ut correxit Pichena, receperunt ceteri, promittere Antonius potuerit. Nam aperta iam tum Italia erat, siquidem praesidiis insessas Alpes et interceptos Vitellii nuntios iam II, 98. legerimus, et de obstruendis eisdem Alpibus contra Vitellianos consilia iniri videamus III, 1. Capite vero 5. id unum curari discimus, ut a tergo tutae provinciae sint; quibus demum firmatis „inpune in Italiam transmittere se posse.“ Atque c. 6. „vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapit Antonius.“ Malim igitur: „Iam reserata mihi Italia, impulsas Vitellii res audietis.“ Ceterum codex, unde haec correctio fluxit, Furia notante, habet, reserata militia. Pichena enotat, reserata militiam.

Hist. III. c. 3. „Hanc sui famam [„volgus et ceteri unum virum ducemque“ Antonium laudabant] ea statim concione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistolis non ut plerique incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxisset: aperte descendisse in causam videbatur, eoque gravior militibus erat, culpae vel gloriae socius.“

Corrigunt, interpretatione. Sed vel orationis interpretationem torqueas, vel orationem interpretatione. Alii graviorem negant fuisse, fuisse gratiorem. Quasi vero non omnia et adscripta verba et sequentia ad pondus et auctoritatem Antonii referantur. Nam quod gravitatem, honestius nomen, cadere negant in Antonium, vulgi hoc esse iudicium meminerint, non philosophorum.

Hist. III. c. 5. Cod. „Trahuntur in parte Sido;“ ed. Spir. in partem. Vulgo partes. Singularis ac pluralis aeque familiaris Tacito.

Ibid. Accedo I. Gronovio e cod. vitio „commissior“ coniectanti, „fidei commissique patientior.“

Ibid. Cornelianum morem struendae periodi magis sequi mihi videor, si ita orationem divido: „Igitur Statilius Felix — ad occupandam ripam Aeni fluminis — missus; nec his aut illis praelium tentantibus. Fortuna partium alibi transacta.“ cf. II, 59. Hic ut illic sententiosa oratio seiungenda ab ablativo negligentius ad finem reiecto.

Hist. III. c. 6. „Male parata mox in perniciem vertere.“ Sic. cod. et ed. Spir. Ne igitur parta praeferamus interpolatorum. Sic iam Plaut. in prol. Rud. „Rem bene paratam comitate perdidit.“

Hist. III. c. 7. „Volgata victoria, post principia belli secundum Flavianos, datae legiones.“ Certissima haec cod. scriptio est. Primus enim Antonius, actor, ut promiserat, consilii, cum cohortibus et equitum parte in Italiam irruperat; legiones reliqui duces continuerant. Iam post laeta belli principia datae ei ab his etiam legiones. Non igitur scribendum, duae. Nusquam sponte prorumpentes legiones legimus. — Cap. 10. cod., Furia notante, habet „conviciis et probris“ non, ac.

Hist. III. c. 12. „Et paucis resistentium [trierarchorum] obumbratis ceterum volgus novarum rerum studio in Vespasianum inclinabat,“ auctoritatem ducum hic in tempus obumbrari, ut „senatus et populi nomina obumbrari aliquando“ II, 32. legimus, multi negare solent; obtruncatos affirmant; cur, vel quo auctore, ignoro.

Hist. III. c. 13. „Huc eccidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine praelio, sine volnere vinctas manus et capta traderent arma? quas enim ex diverso legiones? nempe victas Et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecumanosque; quos tamen isdem illis campis fuderint straverintque. Ut armatorum milia velut grex venalium exuli Antonio donum darentur? Octo nimirum legiones unius classis accessionem fore! Id Basso, id Caecinae visum; postquam domos, hortos, opes principis abstulerint, etiam militem auferre.

Interpunctione oratio sublevanda videbatur. Nam „Ut — darentur“ interrogatio est indignantium, quam per ut non minus efferri scimus, quam per accus. c. inf. Recurrit vero quodam modo haec particula ad ut prius, „Huc recidisse, ut,“ et partitionem orationis illustrandam adiuvat. Nam postquam priore parte de se locuti sunt milites, hinc iam ad duces veniunt: Ut Antonio darentur exuli et Basso Caecinaeque praedonibus? Ceterum duplicis recensionis vestigia hic quoque cod. aperta exhibet. Ita enim scribit: „postquam — opes principis abstulerint, etiam militibus principem auferre litem,“ (litem superscr. extremis syllabis in militibus, et principem inductum puta) in nomine autem principis, s est expunctum. Itaque aut legemus, quod vulgo faciunt, „opes principi abstulerint, etiam militibus principem auferre,“ aut quod ego proposui. Mihi enim haec oratio melior videtur. Nam non tam id quaeritur, cui illi abstulerint aliquid, quam quid et quam nefarie. Qui vero antitheses florentiores quaerebant, pleniorem illam alteram effinxerunt. Cet. in sqq. cod. habet: „Quid dicturos rẽ poscentibus; quod solvit ed. Spir. rem poscentibus. Furia vero auctor est, *m* in cod. sic notari: re’. Possis rescribere: „Quid dicturos reddi poscentibus aut prospera aut adversa.“

Hist. III. c. 16. „Ut qua cuique proximum, omissa praeda, praelio occurreret.“ Non solum Ryckius, sed Furia etiam singularem in cod. invenit, qui hic, ubi singulis quibusque quid promptissime faciendum sit, imperatur, praeferendus est plurali, quo comprehenduntur omnes, qui ante per „quosque“ numerabantur.

Hist. III. c. 17. „Centum equites resistere,“ servo e cod. cum aliis

Hist. III. c. 18. „Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque hostem adgredi tantum per spatium cursu et pugnando fessum. Forte victi. Haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant, atque in adversis deesse intellegebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat. Et Vipstanus Messalla tribunus cum Moesicis auxiliaribus adsequitur, quos gloria militiae legionariis quamquam raptim ductos aequabat. Ita mixtus pedes equesque rupere legionum agmen.“

Distinctione hic quoque auxilium ferendum erat. Vulgo enim ita coniungunt: „Forte victi desideraverant.“ Unde variae coniecturae necessario natae sunt. Falsa enim necesse est ea oratio sit, quae et argumento et tempore dissona copulat. Nam „haud — intellegebant“ observationem de animo legionum continet; quae cum duo tempora complectatur, prospera plusquamperfecto, „desideraverant,“ adversa imperfecto, „intellegebant“ eloquitur Contra „forte victi“ factum refert unum, quod perfecto tempore enuntiatum ab observatione et natura et elocutione, ut dixi, discrepat. Erat igitur etiam interpunctione seiungendum. Quod cur dudum non factum sit, causa est in omisso verbo substantivo posita. Vulgari enim more, post tot imperfecta, diceretur, Forte victi sunt. Excidit autem id verbum propter animi affectum, quem haud raro interpretes, si orationis leges transilit, minus viderunt. In hac vero

oratione affectus unus regnat. Nam miserrimam cladem illarum legionum, quas ducum proditio fato obiecit, acerbo cum dolore militare Taciti ingenium luget et prosequitur. Itaque postquam inter mediam suorum caedem ac fugam quasi salutaris quaedam stella „fulsere legionum signa Rapacis atque Italicae," repente ipsae animis conciduut, „non laxare ordines, non recipere turbatos, non ultro hostem adgredi fessum," additque cum gemitu: Forte victi! Namque velut attonitas „equitatus incursat — auxilia Moesica adsequuntur — mixtus pedes equesque rupere legionum agmen. Hinc apparet, ante: „Et Vipstanum" non commate, sed plene fuisse interpungendum. Nam singulos ad caedem irruentes neque tamen legiones ex torpore excitatas quasi oculis ipse videns depingit. Multi etiamnum loci sunt in Tacito, ubi id Et novam orationem ordiens non animadverterunt, velut. Ann. IV., 51. in fine. Vides etiam id cum gemitu dici, quod mixto equite ac pedite agmen rumpitur Legionum Romanarum. Unde consequens est, Ritteri coniecturam ferendam non esse, qua praeter equites et auxiliares incurrentes legionarios quoque intulit: (cod. quos militiae) „quos militia e legionariis quamquam raptim ductos aequabant." Nam ut alia sileantur, quae offendunt, velut militia e legionariis ab hoc orationis affectu prorsus discrepans, nunquam legionarios induxisset sic et ad hunc finem properans Tacitus. Itaque non dubitavi prave a cod. omissam vocem ex ed. Spir. assumere, gloria. Nam et ed. hanc nequaquam interpolatam ac fide dignam, cod. vero non raro singula verba omittentem probe nunc novimus, velut hic post quos glã (gloriae compendium) facile excidere potuit. In uno tamen cod. relinquere et deteriorum scripturam sequi non veritus sum, qui praebent, aequabat, non, ut ille, aequabant. Nam non tam militum iudicium de auxiliaribus Moesicis hic addi, quam tribuni Vipstani Messallae audentiam laudari, qui „quamquam raptim ductos" tamen „legionibus aequabat" verba haec ipsa, „quamquam raptim ductos" satis declarant. In huius igitur viri venerationem (cf. III., 9, et saepe) haec dicta sunt, qui vel auxiliares immittere in legiones non dubitaret. Simul vero legionarios tum nullos ad manum fuisse concludas. Septimae enim legionis tribunus Vipstanus erat.

Hist. III. c. 19. „Cremonam plane sitam" ex cod. non sperno. **Ibid.** „quatiuntur arma" recte habet; post haec passiva tanto maiore cum vi adduntur haec absolute: „rupturi imperium."

Hist. III. c. 21. Mox tertia decima densis arbustis intersepta." Fortasse decima seu X ex siglo male intellecto nata; velut, sed densis arb. intersepta.

Hist. III. c. 22. In „dextro suorum cornu" non immerito Faernus (magnum nomen) et Ernesti haeserunt. Suspicor: dextrovorsum cornu.

Hist. III. c. 24. „Mox infensus praetorianis;" infensius corrigunt sine causa. Ne vehementius quidem in comparativo adverbium, quam in positivo adiectivum est.

Hist. III. c. 25. „Ut quos nullo rectore suus quemque impetus vel pavor contraheret duceretve." Corrigunt diduceretque, quia mentem Taciti non assecuti sunt. „pavor contrahit" non dissipatos in unum locum — quod ne cadit quidem in timidos per aciem — sed contrahit animos et corpora timentium, they shrink into themselves; impetus ducit in hostes. Chiasmo, quo nulla figura Tacito frequentior, contrahere ad pavorem, ad impetum ducere relatum est.

Ibid. „Voce flebili precabatur piatos patris manes."

Placatos ex interpolatis etiam nunc multi praeferunt, quamquam de probo piati usu dubium esse non potest. Cod. platos, cui recentior manus (Beroaldi?) superscripsit ca. Furia haec addit: „Sic (placatos) recentior manus; sed legi etiam potest piatos, nam scriptor codicis *i* et *l* prope similes, imo similes interdum solet exarare. scriptura enim codicis longobardica est.“

Ibid. „Nec eo segnius propinquos, adfines, fratres trucidati spoliant.“ Corrigunt trucidatos, propius vero fuerit trucidant et spoliant.

Hist. III. c. 32. „Tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiorem opum specie complebat.“

Consentiunt in vitium cod. et ed. Spir. Putarim coloniam, ut fit, traxisse adiectivum insequens, reddendum suo nomini, specie. ea enim, species, maior divitiis veris. Itaque cum aliis legam „maiore opum specie complebat.“ alii maiorum.

Ibid. Cod. „statim futurum, ut inalesceret (sic) *n* supersc. Sed singularis non minus aptus est.

Hist. III. c. 34. „Hic exitus Cremonam anno ducentesimo sexagesimo sexto a primordio suo.“

Ita hunc locum notat Furia. Ac posse Cremonam servari, non dubito. Dici enim non potest, quam late reticentiae indoles (quae hic acc. Cremonam peperit) per omnia orationis genera et in familiari sermone, et in affectu, et in ioco apud Romanos pateat, et quantopere per quartum casum oculis quodam modo aspicere res soleant, quas mente concipiunt. Idque probe I. Gron. in nostrum locum cadere intellexit.

Hist. III. c. 39. „Blaeso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit.“

Ad verba fidei obstinatio Furia notat: „in marg. ead. man: alii, fides obstinata.“ Hinc aliquis coniiciat a Tacito esse: fides obstinata obfuit; inde obstinatio fuit peccatum. **Ibid.** cum Lipsio „notabili gaudio“ legerem; nobili, quod libri habent, vix latine dicitur.

Hist. III. c. 42. „Appenninis iugis,“ ex cod. teneo. Appennini alii malunt, quod ita aliis locis Tacitus dicit; sed his etiam in rebus eum libere variare orationem novimus.

Hist. III. c. 43. „Foroiuliensem Coloniam, claustra iam maris, praesidio tuebatur.“ Assumenda ex cod. iam, quam ead. man. superscriptam Furia notat. Quamquam enim illic perpetua navium statio erat, claustra tamen maris tum facta est, temporum rationibus.

Ibid. „Quae ubi paratu firma — increbuere.“ Cod. ui; unde malim ut; saepe enim *i*, *l*, *t* a librario commiscentur. Similiter c. 56: „nec ut feriri mos est“ recte corrigitur, cum cod. ui peccet. Etiam IV., 22: „parum provisum, ui (i. e. ut) copiae conveherentur.“

Hist. III. c. 44. „Et Britanniam indictus erga Vespasianum favor quod illic — bello clarus egerat — adiunxit.“

Vocem vitiosam nondum quisquam corrigere potuit, ut aliis placeret. Vide, an ego verum viderim: „inde initus — favor.“

Hist. III. c. 47. „Subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus moverat. Is fuit Anicetus Polemonis libertus. praepotens libertus olim, et postquam regnum in formam provinciae verterat, mutationis impatiens.“

Sic scribit atque etiam interpungit cod. Quo ipso facilis ceteroquin suspicio, ne errore scribentis alter libertus natus sit, valde minuitur. Atque indignationem hanc nominis iterationem peperisse, (uti Horatius libertino patre natum sese in irrisionem superborum sui osorum identidem regerit) his exemplis admodum probabile est: Ann. IV, 10: Corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is Lygdus aetate atque forma carus domino — erat.“ Et Hist. IV, 11: „Asiaticus, is libertus, malam potentiam servili supplicio expiavit.“ Nolim igitur, cum invicem haec exempla se tueantur, ullum Tacito eripi.

Ibid. „Trapezuntem vetusta mama civitatem — inrupit.“

Sic cod. Lipsius, fama, propius vero fuerit, memoria, si compendii huius vocis memor eris.

Ibid. „Classis quoque faces intulit, vacuo mari eludens, quia lectissimas Liburnicarum omnemqne militem Mucianus Byzantium abegerat. Quin et barbari contemptim vagabantur fabricatis repente navibus.“

Mirum quod I. Gronovium Waltherumque, qui dudum verum viderunt, audire nolunt. Malunt potius absurdum Anicetum ac bardum effingere, qui quamquam „regiae quondam classis praefectus,“ tamen classi, Trapezunti inventae, faces intulerit, ut dein rudia ipse navigia, quae classis nomine indigna essent, sic enim loquuntur, aedificaret. Haec et similia cum chartis illudunt, magnaque Gronovii ac Waltheri, diligentium virorum, nomina superbe fastidiunt, non indignationem movere profecto non possunt. Ille vero, ut decebat classis praefectum, mari quoque litora Asiae infestabat. Belli faces vel pueris notae sunt. Hinc facili translatione et argute classis nunc faces deduxit. eoque melius, quia piratarum instar, magno haud dubie illarum provinciarum cum damno, cuncta barbari illi igne ferroque vastabant atque insigniter urebant. Hoc luce clarius omnia commonstrant: vacuo mari (nostram opem) eludens, quia lectissimas naves, omnemque militem (navalem) Byzantium Mucianus abegerat. Aniceti vero exempla barbari, i. e. incolae mari adiacentium locorum, privatis opibus leviora navigia aedificantes, imitabantur. Hoc ita habere, auxesis probat: „Quin et barbari“ etc. ea enim figura uti non poterat, ni in eadem re ad contumeliam aucta pergebat. Ad haec omnia, si tanti est, cf. finem cap. sq., ubi: „Geminus Liburnicis assequitur Anicetum in ostio fluminis Cohibi,“ et „laetum ea Victoria Vespasianum.“ An contempti, in quo conspirant cod. et ed. Spir. tenendum suadeam, dubito. Scimus enim, quotiens participia in us loco verbalium in ibile veniant, ubi ea fingere Romani noluerunt.

Hist. III. c. 50. „Is Silvanum — regebat, omniaque quae agenda forent quieta cum industria aderat.“

Nolim cum plerisque ad omniaque corrigere. Quam enim libere haec neutra ad verba quaeque accedant novimus. Oratio autem tam leniter eo accusativo profluit, ac tam ea praepositione immissa retardatur, ut consulto a Tacito omissam arbitrer.

Hist. III c. 52. „Hique omnes de festinatione — rescripsere.“ Hique ex cod. et ed. Spir. iam alii pro vulgata, iique, iure recepere. Neque enim hic cod., ut alii, pronomini is *h* solet praescribere, sed diligenter utrumque pronomen distinguere, et Taciti aevo pronomen hic saepe in alterius pronominis iura invadit; nam aureo aevo dixissent, iique.

Hist. III. c. 56. „Improvidus consiliis“ ex ed. Spir. et cod. restituo; enumerantur enim dein singula consiliorum genera.

Hist. III. c. 58. „Vocari tribus iubet. dante nomina sacramento adigit.“ Sic. cod.; unde scribam dantem; vulgo, dantes.

Hist. III. c. 63. Notandum, cod. habere quidem, „ut ad praelium intentus ornatusque“; sed margini ab ead. man. adscribi, quod ceteri codd. et ed. Spir. referunt: armatusque.

Hist. III. c. 64. „Gratiam patrati belli penes eum, qui urbem occupasset. Id Sabino convenire, ut imperium fratri reseraret, id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur.“

Si ipsum suum verbum Tacito reddidisse mihi videor, reseraret, cum codd. et edd. habeant, reservaret, plerosque assensuros spero.

Hist. III. c. 65. „Namque Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum ante ibat; et credebatur adfectam eius fidem praeiuvisse domo agrisque pignori acceptis; unde quamquam manente in speciem concordia offensarum operta metuebantur.“

Unum certum esse videtur, vitio laborare hunc locum. Suspicionum enim, ne maior natu fratris fastigium moraretur, duae causae erant; altera in fratris maioris et ad id opulentioris aemulatione posita; altera in eiusdem metu, ne iniuriam aliquam ille ulcisceretur. Ea vero ad fidem Vespasiani, quum ex Africa provincia reverteretur, labefactatam neque a maiore fratre fraterno animo sustentatam pertinet. Iam vero praeiuvare fidem eiusmodi iniuriam non posse describere manifestum est. Nam quod Ritter attulit, qui eum fratris fidem cupide et priusquam necessitas urgeret iuvisse putat, accipere ab eo non possumus. Quid enim Vespasianum, si necessitate non urgebatur, agros oppignerare cogebat? An ut fratris admirabili illi cupiditati indulgeret? quem propter eam ipsam post tot annos odisse putabatur? Potius ille vehementer laborabat, et fratris iniuria in eo erat, quod pignore accepto Vespasiani fidem labantem praecipitabat. Nam quum fratrem fratri tam acerbum viderent, magis etiam attritas res Vespasiani ceteri haud dubie crediderant. Hinc igitur Bipontini, parum iuvisse eleganter coniicientes, ad sententiam quidem recte iudicaverunt, sed verbum ipsum non omnem fratris iniuriam haurire arbitror. Non enim solum parum iuvit, ut exposui, affectam fidem, sed paene fregit. Idque haud obscure Suetonius testatur, cap. 4.: „Rediit certe [ex Africa] nihilo opulentior, ut qui prope labefacta iam fide omnia praedia fratri obligarit, necessarioque ad mangonicos quaestus sustinendae dignitatis causa descenderit.“ Vides, quid ei frater profuerit! Est igitur tale verbum quaerendum, quod insigniter imminutam fidem describat, velut, fidem pressisse, quod, ut fit, praessisse scriptum illuc abierit. aliis fortasse praegravasse vel praecurrisse placeat. Mihi quidem ea loci natura videtur, ut ipsum verbum digito monstrari nequeat.

Hist. III. c. 66. „Sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis eius, non denique exercitibus securitatem nisi exstincto aemulatore redituram. Fabium illis Valentem captivom et casibus dubiis reservatum praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant.“

An recte hoc vitium meliorum, in quibus cod. et ed. Spir., et captis diebus libri interpolati correxerint, casibus dubiis, vehementer dubito. Nam neque sententia placet, quod exponere longum est, et ita ratiocinor: Duo hic opponuntur, Valenti Vitellius; Primus et Fuscus ac specimen partium Mucianus — cui? An causae servati Valentis? Id vero fieri nequit. Quaeri autem antithesin, praemissa nomina, nedum Primus commonstrant. Quem vero melius opponi posse dicas, quam captorem Valentis, Paulinum, hominem mitem? Itaque legas: „et captivitatis ducibus reservatum“ i. e. a captore in ipsoque capiendi ardore servatum tamen postea occidisse; nedum etc. Sic c. 70.: „urbium captivitates“ de actu urbium capiendarum, et 83., „quidquid in acerbissima captivitate scelerum?“ Id etiam me turbat, quod illi duces immites habere ullam nisi occidendi licentiam negantur. A quo enim? An a Vespasiano? Id quidem neque per huius mores probabile est, neque eo orationis vestigia ducunt; nam ducum ferocia per nedum inducitur, non Vespasiani potentia, quae ipsa in illos, in Mucianum praesertim, vel minor erat quam in alios et paene incerta. An scribendum, aveant? Nam multa verba, quae prius infinitivum flagitabant, Taciti aevo accusativos sibi adstruunt, velut, sinere, coepisse et incipere, audere, etc. Ut sit, licentiam sibi dari aveant.

Ibid. „Ut tot egregiae domus honores deceret, desperatione saltem in audacia accingeretur.“ Neglexerunt hanc cod. scripturam, quam enotat Furia, ac scribunt audaciam. Sed ille pluralis, ut tacita suspicionum, audacia facinorum, familiaris Tacito; ac decet ea oratio quaesitior hunc dicentium ardorem.

Hist. III. c. 68. „Interclusum aliud iter, idque solum, quod in sacram viam pergeret, patebat.“ Suspicor legendum, quo — pergeret nam iter quod requirit, pergebat.

Hist. III. c. 69. „Igitur tanquam omnis resp. in Vespasiani sinum cecississet.“ Hinc alii codd. cecidissent, alii cessissent. Et electio difficilis; ego saepe propter sinum, in quem sponte tanquam mala matura resp. cecidisse dicuntur, hoc praefero.

Hist. III. c. 70. „Trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimius ardor; imparem esse modestiam suam.“

Nulla est causa, ut iam Bach iudicabat, cur ab hac cod. et ed. Spir. lectione decedamus. Quid quod incisa haec oratio trepidum et singultim pauca locutum unice decet? Corrigunt, „cuius nimio ardori imparem etc. **Ibid.** „Ne militibus — interficeretur,“ nescio cur *a* milit. corrigunt.

Hist. III. c. 71. „Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obsessi, quae crebrior fama, innitentes ac progressos depulerint.“

Hanc cod. lectionem veram esse et alii recte iudicarunt; a me est „innitentes,“ ex cod. vitio, famam nitentes.

Hist. III. c. 72. „Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata; nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum causis? quo tantae cladis pretio? Stetit, quando pro patria bellavimus. Voverat Tarquinius.“

Sic ego, quando interposito, hunc locum corrigam. Ac facile quando, quō scriptum, vel propter insequens pro, vel quia proxime processerat, „quo tantae cladis“ tanquam vitiosa repetitio excidere vel induci poterat. Digna vero haec Taciti ingenio meditatio, stetisse, antequam in civilia bella et suorum caedem ruerent, pignus illud Romani imperii. Itaque deis propter civium arma iratis iam ante arserat, nunc aucto furore palam incensum! Hinc est, quod pergit: „Curam victor [civium!] Sulla suscepit; neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen — usque ad Vitellium mansit.“ Videsne, quam illuc omnia referantur? Commode vero hac sententia reditur illuc, unde omnis haec oratio egressa erat: „Sic Capitolium — conflagravit — nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis;“ neque minus commode ab hoc gemitu ad brevem templi historiam transitur: „Voverat Tarquinius.“ Adiuvat etiam quodammodo coniecturam codicis haec verborum divisio: „cladis pretio. Stetit. pro patria“ etc.

Hist. III. c. 86. „Principatum eidem tulere, qui ipsum non noverant.“ Hoc quod omnes libri referunt, nolim sperni. eidem saeculi more defenditur et loci natura; est enim: principatum etiam ei tulere,

Historiam Liber quartus.

Hist. IV. c. 4. „Multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civilium data.“

Plerumque civili corrigunt; sed magis probabile, librarium in consuetam hanc dicendi formam delapsum deinde se correxisse, ut expunctis il Taciti scriptura relinqueretur, civium.

Ibid. „Ubi ad Helvidium Priscum praetorem designatum ventum, prompsit sententiam, ut honorificum in bonum principem; falsa aberant. Et studiis senatus attollebatur.“

Sic codd.; et omnia recte habent, si recte orationem dividas et explices. Nam ut est velut. Sententiam prompsit velut honorificam. Supra iam vidimus, ut sua vi saepe a Tacito omitti, si addatur, pro veluti aut etiam tanquam poni. Eam vero sententiae descriptionem ut recte capias, duo tenenda sunt. Alterum, Helvidium, rigidum virtutis satellitem, verbis esse usum asperis neque ex more saeculi in adulationem deflexis; alterum, Tacitum eius viri esse admiratorem. Erat igitur sententia talis, qualem bonus princeps, et qui Helvidii asperitati placere cuperet, honorificam putare debebat. Alii vero, qui saeculi mores novissent, alio sensu ac subridentes velut honorificam eam iudicabant. Tacitus contra eam simplicitatem et laudis parcimoniam defensurus addit explicans: falsa aberant. Nos diceremus: nempe, falsam laudem nullam admiscuerat; id plerisque a reprehensione non longe distare videbatur. Hinc studia senatorum intelliges, qui ea libertate oris, ipsi tuti, gaudebant. Id igitur iudicium ab explicatione Taciti plena distinctione erat seiungendum: Et studiis senatus attollebatur. Videntur igitur ea senatus studia Helvidium in asperiora etiam verba extulisse. Erant enim, ut scimus, Stoici gloriae, sed verae,

cupidi: Als die Reihe an den Helvidius kam, trug er mit Freimuth (prompsit) eine, nach seiner Meinung, ehrende Rede vor; für einen guten Fürsten! Falsches Lob kam nicht darin vor. Dazu hob ihn der Beifall des Senats.

Hist. IV. c. 5. „Helvidius Priscus regione italiae carecinae municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset. Ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret. Doctores sapientium secutus est, qui sola bona etc.“

Adscripsi locum, non ut corrigerem, — nam ea velle corrigere, quae in rebus nobis ignotis nituntur, temerarium arbitror — sed ut quid fere interisse suspicer, exponam. Ex coniunctivo igitur, duxisset, qui causam continet, iure concludo, tenues fuisse Helvidii origines. Nam quo referas, nisi huc: nam pater ordinem duxerat? Recte igitur suspicatus esse videtur Lipsius, regione esse origine. Qualis ea fuerit, italiae nomine latere puto, sed divinatione certius posse definiri nego. Sin haec probabiliter coniiciuntur, consequens est, ut „Ingenium illustre“ a priore oratione plene seiungatur. Nam res plane alia est et novo accentu incedit oratio. Alterum ut („ut nomine“) codd. omnes non habent. Neque placet; et quia repetitum hoc ut minus suaviter ad aures accedens non obtrudendum erat scriptori, et quia propius abesse a manu Taciti esse videtur, „non ut plerique, quo;“ ut que quo hauserit. Doctores sapientium non audeo spernere; sunt doctores e sapientibus seu philosophorum disciplinis. Ordo paulo insuetior est, quia ob accentum rhetoricum in principio orationis collocare volebat doctores.

Hist. IV. c. 10. „Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amicitiae, cuius se magistrum ferebat. Proximus dies causae destinabatur. Nec tam Musonius aut Publius, quam Priscus et Marcellus ceterique motis ad ultionem animis exspectabantur.“

Iniuriam fecerunt et Tacito et Lipsio, qui amicitiae loco amici nomen receperunt. Lipsius enim quamquam inventor lepidae coniecturae tamen de inventi veritate diffidenter locutus est; interpretes vero, cum sine studio iudicare possent, deteriorem vocem meliori imprudenter praetulere. Namque amicitiam, ut quae actuosae vitae sapientium recteque instituendae reipublicae plurimum prodesset, Stoicos prae ceteris philosophorum disciplinis laudavisse nemo ignorat. Iure igitur amicitiae magister Celer vocatur. Deinde vero nihil Tacito magis exosum, quam ficti illi Catones; nihil igitur magis in promptu, quam in isto barbato id ipsum exprobrare, quod amicitiam, quam ore et habitu prae se ferebat, vita turpiter prodiderat. Quantoque apud severum vitae iudicem hoc maius, quam quod ingerunt, magistrum fuisse Celerem Bareae! Hic enim tota ea lex vitae ac professio proditur, quam etiam Tacitus, sed moderatam, sequebatur. Accedit autem id longe maximum, quod cetera Taciti verba eam coniecturam prorsus respuunt. Nam isne amici corruptor est, qui amicum pessumdat? Et quid illud est, „proditor amici, cuius se magistrum ferebat?“ Ecquid iste gloriabatur, eius se magistrum esse, quem proderet? vel a se esse eum magistro instructum, quem iam spretae maiestatis reum accusaret? Noli credere, Tacitum tam insulse loqui; is dixisset, cuius magister fuerat. Quod si ipsos Taciti sensus de eo magistro cognoscere cupis, Ann XVI., 32. compara: „Cliens hic Sorani et tunc emptus ad opprimendum amicum auctoritatem Stoicae sectae

praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus et subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quo modo fraudibus involuto aut flagitiis immaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces."

Etiam de ea coniectura, in fine loci propositi, quam a Lipsio inventam omnes receperunt, ad ultionem, mihi aliter videri fateor. Codex enim peccat, adulationibus, quatuor autem extremis literis tria puncta subscripta et superscriptum est *e*. adulationes igitur corrigebat. Hinc ad ultionem non posse veniri, sic colligo. Non tam curabant Musonium et Publium, quam Priscum et Eprium. Illorum autem causa tractabatur, hi oratores videbantur surrecturi, ergo non ad ultionem erant erecti, quam tunc a Marcello Priscus repetere nullam poterat, sed in horum altercationes. Atque ut ultionem Publii etiam ad Marcellum pertinere potuisse concedam, tamen eam non exspectasse patres potest monstrare. Nam Marcellum damnari multis senatoribus res aleae plena videbatur. Itaque de Eprio cap. 6. legimus: „Ea ultio senatum in studia diduxerat;" ac paulo post: „Multis deprecantibus omisit Priscus." Eamque sententiae diversitatem etiam tunc obtinuisse ipsa Taciti verba demonstrant. Nam praecesserat de ipso Publio: „Ea eognitione renovari odia accusationum videbantur. Sed vilis et nocens reus protegi non poterat." Itaque c. 40. eum damnari legimus. (Ubi noli cum Ernestio et aliis corrigere: „Iustum indicium expleverat;" verissimum enim iudicium.) Sed cum inde ad alios iretur, ira repressa. Neque c. 43., cum Montani exemplo erectus in spem ultionis Priscus denuo Marcellum corripit, perpetrat: „Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies." Ac cap. 44.: „Patres coeptam libertatem, [ultionem accusatorum] postquam obviam itum, omisere." Neque longa conquirenda. Ipsa proxime subsecuta verba alio nos ducunt quam ad ultionem. Pergit enim: „Tali rerum statu, cum discordia inter patres [quamquam partes codicum iure retinebis, sententia eadem] — Mucianus urbem ingressus est." Non igitur potest scripsisse videri, cunctos fuisse ad ultionem motos. Quid scripserit, mihi liquere videtur: „Priscus et Marcellus ceterique motis ad velitationes animis expectabantur." Velitationes nunc dicit, quas supra acre iurgium vocabat: „Hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium." Eae igitur altercationes, suaves haud dubie, utpote ingeniosorum hominum, delectaverant illum aliud agentem senatum. Ad apud Tacitum verbis movendi additum tam praeteritas quam futuras motuum causas, sive particulas et quod et ut in se habet. Futuram causam habet Lipsii coniectura, ad ultionem seu, ut ulciscerentur; mea, praeteritam, propter velitationes; quamquam simul ad futura iurgia refertur. Similiter II., 8. dixerat: „Multis ad [propter] celebritatem nominis [Neronis] erectis;" et Ann. XIV., 57. „Erectas Gallias ad [propter] nomen dictatorium;" seu quod erat nomen etc.

Hist. IV. c. 12. „Simulque insulam iuxta sitam occupavere." Ita iam ante me Walchium coniecisse video. cod. iuuata sit an. **C. 14.** „Hinc compositi seditionis auctores." Non minus recte, quam quod corrigunt, compositae. **C. 15.** „Ergo ipso rebellis familiae omine placuit." Sic malo cum aliis, quam cum Lipsio, nomine. cod. homine. similiter c. 24.: „Fortunam malo homine, i. e. omine, exsolverent." Omen nunc est, quod pater „Gaianarum expeditionum ludibrium impune spreverat." **C. 18.** „Coniuges parvosque liberos consistere a

tergo iubet, hortamenta victoriae, pulsus pudorem.“ In latissimo eius nominis usu afferre tamen volebam, pulsus esse in cod., non pulsis. **C. 20.** „Omnibus portis rumpunt“ iam Bach tuitus est. vulgo, erumpunt. Et **ibidem.** „suis plerique telis interire, non interiere. **C. 21.** „Arbitrium rerum Romanarum ne ageret,“ tueor; vulgo arbitrum.

Hist. IV. c. 22. „Depromptae silvis lucisque ferarum imagines.“ Quod conieceram ex cod. vitio, iuusge, iugisque, nunc multos iam codd. occupasse video. Non sane male, qui in iugis montium praecipue etiam apud Germanos coli deos noverimus. Neque me movet, quod alibi lucorum mentionem Tacitus fecit.

Ibid. „Et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum Romanorum tuebantur. sed lixarum multitudo — bello ministra aderat.“

Recte iudicant, qui armatos Romanos ferri hic posse negant; sed qui Romanos inducnnt, iniuriosi dicendi sunt. Flagitant enim hic armati aliquod epitheton. Armati enim apud Tacitum aut milites sunt; sed eorum loco tum tantum hoc nomen usurpat, quando ornatus aliquis orationi quaerendus est, uti nos fere Gewappnete dicimus. Eius autem ornatus nullum nunc locum esse, per se patet. Milites igitur dixisset. Sed quum milites etiam illis temporibus saepissime legionarii intelligerentur, nunc autem legionibus quaereretur oppositum; — nam quamquam ex pugna cum Civile in Vetera castra legionarii se recepisse c. 18. dicuntur, vix tamen illi uni quinque haec milia effecerint, a quibus nunc ea castra tenentur; accedebat enim illuc praesidium castrorum, quod, cohortes fortasse, haud dubie illic relictum fuerat; — has igitur copias simul cum legionariis illis comprehensurus vitare militum nomen et admixtas legionariis comprehendere armatorum nomine voluit. Iam vero armati, si non auctius militum nomen referunt, quemvis quaevis arma gerentem describunt. Sed arma quidem praeter illa quinque milia alii etiam gerebant, nam „lixarum multitudo bello ministra aderat.“ A quibus quum illi armati distinguendi essent, necessario epitheton flagitari supra dicebam; id vero Romanorum vitium occultat; quod ego ita resolvo: „Vallum vix quinque milia armatorum Romano more tuebantur;“ i. e. Romano quidem more; nam statim alia arma atque auxilia additurus est.

Hist. IV. c. 24. Lectos e legionibus Dillio Voculae duo et vicessimae legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret; ipse navibus, invalidus corpore invisus militi.“

Hanc optimam cod. lectionem Pichenae obsecuti ita demutant, ut pro navibus scribatur pavidus. Sed facile ad navibus, ex praecedente celeraret, assumi ibat, nemo qui zeugmatis audaciora apud Tacitum exempla meminerit, negabit. Praeterea vero Pichenae coniecturae et oratio et sententia obstat. Nam cum praecedat, „per ripam celeraret,“ unusquisque videt, ei amnis naviumque antithesin iam in mente fuisse; alioquin enim tantum iter celerare esset iussus. Sententia vero ea coniectura pessum datur, quia si alteri proficisci iusso ipse opponetur pavidus, haud dubie remansisse intelligetur. Ille vero non mansit, sed quia corpore invalidus et invisus erat militi, navibus usus Bonnam profectus est, ut c. 25. docet: „Sic mitigatis animis — Bonnam ventum.“ Ubi deinde quid egerit, porro docemur.

Hist. IV. c. 25. „Mox valescentibus Germanis pleraeque civitates adversum nos armari." Sic iam ante me cod. vitium armai correxisse Bipontinos invenio. **C. 26.** „Ductus a Vocula exercitus." Cod. *a* omittit. Nihil corrigam; nam alia exempla sunt nudi ablativi, ubi praepositionem *a* consuetudo flagitat. Si quid esset mutandum, scriberem, Voculae exercitus; *e* duplicata.

Hist. IV. c. 28. „Actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur."

Eiiciunt Rom. nom. Sed calidius, ut opinor. Quis enim talia appingeret, et quo consilio? Potius indignationem Germanorum describi ipsa res docet. „Nomen odisse" Agrippinensium dicuntur. Corrigam: „quod eiurata patria — Romanum nomen! — Agrippinenses vocarentur. Novimus enim morem, poetarum maxime, eiusmodi exclamationes orationi interponendi. Coniunctivus autem „vocarentur," partem infestae eius orationis nos legere significat. Et prorsus hoc habet Tacitus, ut etiam indirectae, quam dicunt, orationi actionis vestigia imprimat praesentis.

Hist. IV. c. 29. „Tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus. Nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, et ignavorum telis saepe fortissimi cadere"

De casibus illis incertis vehementer dubito. Nimis enim in nocturno hoc tumultu properanter post strepitus irruentium dissonos veniunt, et sequentia occupant. Accedit, quod cod. eas voces omisit; alia deinde manus adscripsit, corsus inceptti. inde fortasse correctio, casus incerti in ceteros libros venit, unde nihil notatum video. Sed propius erat et ad descriptionis naturam aptius: strepitus dissoni, cursus incerti. i. e. discursus vel, incursus. Multi arcus eripere tentant. Sed si eius teli locum hic nullum esse aiunt, quo id iure affirment ignoro, praesertim cum ipsis proximis verbis „ignavorum telis, e longinquo haud dubie et etiam arcu missis, fortissimos cadere discamus, uti Richardus Anglorum rex Leoninus arcu ictus in castelli expugnatione cecidit. Quod autem artus commendant, probarem, si poetam legeremus; ii enim pro corporibus membris, pro membris artubus uti malunt. E quibus ut multa assumsit Tacitus, non tamen temere quaeque invehenda. Ac nego ullum esse locum, ubi artuum talis apud eum usus sit.

Hist. IV. c. 31. „Auxilia e Gallia, quibus nec amor nec odium in partes, militiae sine affectu."

Non recte Rhenanum imitati corrigunt, militia. Partium enim memor duas militias sine affectu esse dicit, Vitellii et Othonis. eorum neutra militia cordi eis erat, quia duces eos spernebant, partes nihil curabant.

Hist. IV. c. 33. „Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae, dum castris propinquant, audito pugnantium clamore intentos hostis a tergo invadunt, latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novesio aliis a Moguntiaco universas copias advenisse credentibus. Is error [Romanis] addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere."

Recte cum aliis cod. glossema Romanis omittit. Neque enim cuiqnam addi animus potest, nisi Romanis. Similiter adderes „terrorem hostibus faciunt."

Sin addere nomen voluisset, pro egregio patriae studio, omnibus scriptoribus Romanis, — quam vellem etiam nostris! — communi, dixisset, puto, nostris. Illic tantum, ubi d centes hostes inducit, ut dramatica vis postulat, Romanos vocat suos. veluti IV., 34.: „Tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tanquam perditae apud Romanos res, et suis victoria provenisset.“ Id, puto, in causa fuit, ut dativum hunc adderent, quod, si minus sententiae, deesse orationi aliquid videbatur. Sed vim verborum aucturus, saepe sic loquitur; veluti ipsis verbis proximis, „terrorum faciunt.“ Nisi quod illic, ubi longius dilatatur oratio, minus sentitur quam hic, ubi brevitatem studiose sectatur.

Hist. IV. c. 37. „Discesserunt obsessores — satietate praedae nec incruentati.“ Sic ex vitio cod., incruentari, malim cum Lipsio corrigere, quam cum aliis ex libris interpolatis scribere, incruenti.

Hist. IV. c. 38. „Is proconsul provinciae“ malim cum Iac. Gronovio (sed, proconsule) quam cum interpolatis, is praeerat. Nam cod. et ed. Spir. cum aliis, is provinciae, om. proc. Hinc verbum illi libri id addiderunt, quod facillime in mentem venit, non quod excidisse maxime probabile est.

Hist. IV. c. 41. „Regulum subversa Crassorum et Orfiti domus in summum odium extulerat. Sponte ex S. C. accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiae videbatur.“

Vitiosum hunc locum esse assentior omnibus, sed non recta via ad correctionem iri non minus certum est. Nam tantum non omnes S. C. inducunt vel corrigunt. Quae mihi admodum invidiosa res esse videtur. Nam quum aliunde non norimus, utrum ex S. C. Crassus accusatus sit nec, quo iure ex eo uno loco id depellimus, quo docemur? Praesertim cum non modo saepe multi ex S. C. rei facti sint, sed hic locus ipse indicium in se clarum contineat, Crassum esse a Senatu postulatum. Nam subit Regulus accusationem. Subire vero non eam rem dicimur, cuius ipsi auctores sumus, sed quam ab aliis repertam sponte vel coacti recipimus. Atque qua via ad verum eundum sit, cod. demonstrat, qui non, ut interpolati accusationem habet, sed, ut Furia notat, accusatio. Hinc corrigam: „Sponte, ex S. C. accusato, subisse — in spem potentiae videbatur.“ Saepe similiter cod. peccat, velut II., 99.: seu perfidiam meditatio (non meditato) infringere virtutem inter artes erat;“ et IV., 20.: „ignavia (non ignava) sed procax manus.“ Ablativorum similium collectiones multi instituerunt. Paulo durior oratio est, quia ob accentum rhetor. sponte praemissum est, et quia ad subire accusativus mente addendus est. Itaque erunt fortasse, qui interpretatione et verborum divisione eadem vulgatam tueantur; non ego. Nam durior et minus ex Taciti more facta haec mihi quam illa oratio videtur.

Ibid. „Cum ex funere reipublicae raptis consularibus spoliis septuagies sestertio signatus et fulgens sacerdotio — illustres senes — prosterneres.“

Plerique Faernum audiunt, a quo „septuagies sestertio saginatus Regulus inventus est. Sed quamquam „e funere rapta consularia spolia“ illuc nos ducere possunt, ut auri sacram famem in Regulo cum ea familicorum natione comparari putemus, qui de rogo vivunt; tamen, ut significasse tale aliquid Montanus voluerit, ita rem plane proloqui comoediam magis decuerit, quam patrum dignitatem et curiam;

praesertim cum signatus etiam sestertio satis argute dicatur. Sed hoc vide eadem in oratione, anne bene cadat: „Invenit etiam aemulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? et quem adhuc quaestorium offendere non audemus, praetorem et consularem ausuri sumus?“ Ac tamen codd. habent visuri. Sed aperte ita quo non debebat declinatur sententia. Visuri enim eos reprehendit, qui eum vel fecerint consulem, vel passuri sint fieri, non potentiam et malitiam describit eius, qui nunc evertendus est infirmior.

Ibid. „Non timemus Vespasianum; ea principis aetas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla, quam mores.“

Corrigunt auctores. Sed nihil necesse. Nam sententia eadem manet, quae in breve conclusa, ut omissa recte suppleantur, postulat. Plena haec est: Bonus Vespasianus, sed exempla priorum, Tiberii, Gaii, Neronis, vincunt unius vitam et eius vel mores vel auctoritatem. Quid, quod mores etiam melius opponuntur, quam auctoritas? Haec enim latius patet et mala etiam exempla includit; mores ex praecedente Vespasiani descriptione ad eum unum referri possunt.

Hist. IV. c. 46. „Inter quae militaris seditio prope exarsit. Praetorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati; et lectus in eandem spem e legionibus miles promissa stipendia flagitabat; ne Vitelliani quidem sine multa caede pelli poterant; sed immensa pecunia fer tanta vis hominum retinenda erat.“

Ita cod., si prave disiuncta coniungas. Nam cum pecunia fer in fine folii scriptum esset, propter insequentis folii praeposteras paginas ita in eo se verba excipiunt: „sed immensa pecunia fer ne criminationum“ (c. 52. init.) ad nostram orationem c. 53. fin. (fuisse creditur) ita reditur: „defuisse crede tanta vis.“ Unde non inutile erit observasse, in codicis eius, ex quo fluxit Florentinus, folio uno versus fere 158. fuisse tales, quales ed. Ritteri, non sane magnis literis excussa, exhibet, i. e. satis minutis literis fuisse scriptum, qui 79 vel 80 versus in singulis paginis contineret. Sed ut ad rem redeamus, plerumque istud fer ita extendunt, ut ferebatur qua scribant. Verum ita grammaticam non constare liquet. Omnia vero plana, si fer ortum dixeris ex ſi ac signo aliquo, quo ad nova folia transituri uti soleamus: „sed immensa pecunia, [futura erat] si tanta vis hominum retinenda erat.

Ibid. „Neu pari causa disparem fortunam paterentur.“ In pari c. contra cod. non recte scribi solet. rasuram post pari in cod. inesse non vidi a Furia notari.

Hist. IV. c. 47. „Funusque censorium Flavio Sabino ductum; magna documenta instabilis fortunae summaque etiam miscentis.“

